DUBIA PHYSICA

operâ
tàm publicâ, quàm privatâ
M. NICOLAI ZAPFII,
THURINGI, in Illustri Academia Witte-
bergensi Facultatis Philosophicæ
p. t. DECANI,
*Discussa & accuratiori Naturalium contempla-
tione pertractata.*
Cum Indice
non tantùm dubiorum generali, sed & re-
rum, facili obtutu præcognoscendarum,
speciali,



WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Anno 1632.

[illegible]

PRÆILLUSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO,

DN. GUSTAVO, GUSTAPHI MAGNI,

SUECORUM, GOTHORUM, VVANDALORUMQUE REGIS, MAGNI DUCIS FINLANDIÆ, DUCIS ESTHONIÆ ET CARELIÆ, INGRIÆQUE DOMINI &c. POTENTISSIMI, SERENISSIMI, ORTHODOXÆ FIDEI ASSERTORIS FORTISSIMI, FILIO,

PATERNARUM VIRTUTUM ÆMULATIONE
CELEBRATISSIMO,

DOMINO ET EVERGETÆ SUO BENIGNISSIMO

Perpetuam felicitatem.

GUSTAVE PER-ILLUSTRIS ET GENEROSISSIME,

Domine semper suspiciende,

DUbitandum mihi esset, quin hæc opella, rebus naturalibus à me suscepta, ullam sublimium animorũ gratiam experiretur, quod si non tàm incredibilem erga bonas artes favorem, quô Præillustris Generositas Tua ad quosvis literaturæ ordines benignissimè descendit; quàm aliorum contemptum, iisipsis longè nocentissimum attenderem atque ponderarem.

Postquam enim afflictissimis hisce temporibus in corporis potius, quam

quàm animi voluptates præcipiti viâ iri ceptum eſt, humanæq; molitiones vanarum rerum expectatione non, niſi ad ea, quæ, dum ſenſibus ſunt deſiderio, animo detrimentum afferunt, detorqueri ſueverunt: ſalubribus ſtudiis omni aditu tàm ſevero interdictum eſt, ut ne per tranſennam quidem in oculos plurimorum incurrant: neque prævideri poteſt, quidnam ſecus apud eos uſu venturum ſit impoſterum, quòd gentem eruditam numerô prævalent, qui accuratiorem doctrinam vix unquam à limine ſalutarunt, quin ſe abjectiſſimis curis defigant, ut, cùm omnes ætatis partes operationibus, quas cum brutis ſibi communes vendicant, impendunt, divinarum ſcientiarum mirificam dulcedinem modò non avidius non guſtare, ſed ne libare quidem valeant: hinc ſi amor apud illos eſt terreſtrium, reſtat ut odium ſit literarum: ſi ſen-

ſum terrenis omnibus celſiorem facere negligunt, qui ſeculi ſarcinam projicere alasq; mentis erigere debebant, barbariem rerum magnà niſus facilitate potiri conſequens eſt: ſique tantò majores ſe multi exiſtimant, quantò longius à vera animi felicitate diſtant, multum utique, quod eruditio quærit: prudentia invenit: atque maſcula proborum conſtantia poſſidet, vel ſupprimi, vel præpediri nimis neceſſe eſt: quippe corporis humani partes inſtar æquilibrii ſunt, quantumq; uni additur, tantum alteri adimitur: pariter igitur ingenuis artibus vix minus derogatur; dum hæ animæ deſtinantur, quàm quantum nunc rebus, quæ corpus tantùm circumſcribunt per nefas apponitur. Hanc ſeculi injuriam ſummam fecerunt quotquot vel è principum familiis conatu quovis alio, quàm laudabili liberalium ſcientiarum uſu populum

lum gubernari posse rati sunt: etenim quia talium vita hujus speculum erat, quidnam hic aliud in ea ipsa, sibi præ cæteris imitandum pleno aspectu usurparit, præter malum, quod nunc instar prodigiosæ tempestatis scholarum seminariis junctis plurimorum viribus non sine maxima temporis nostri infamia nec absq; irreparabili posteritatis damno immittitur? Hoc sanè Respub., sicut corpora humana, imbecilliores, quò vitiosioria ac parùm sana earundem capita sunt: namque superfluitates horum deorsum cadendo reliquos artus multiplici viâ invadunt læduntque, id quod magis sentire, quam eloqui datum est, cùm multitudine eorum, quibus hominũ vulgus pro malô superiorum suorum exemplo veterem militiæ Christianæ laudem stabili disciplina reportare dedidicit, sermo vincatur, minusq; fit omne, quod quis sibi efferre præsumat.

Quamvis verò excellentiſſimæ gentis noſtræ gloria in permultis mirùm contabeſcere & penè antè perire, quàm periit, videatur: Tu tamen, GUSTAVE Generoſiſſime, tametſi profundiſſimus virtutum gradus Tecum velut connatus & quodam ſanguinis jure ex Regio Parente, quem totus terrarum orbis non ſatis admirari poteſt, Tuam ipſius animam intraverit: ab ipſo adoleſcentiæ veſtibulo ita Te honeſtiſſimis Artibus felici Minervâ tranſcripſiſti, ut, poſtquam ſaniorem Philoſophiam non leviter pervolitaſti, ſed & intima eruditionis cubilia frequens intraſti, proq; divinitùs data Magni Parentis victoria latinam facundiam Excellentis ingenii de publica Aulici templi cathedra toti huic Academiæ tanquam rariſſimum exemplum ingenui Principis egregiè oſtentaſti: Conſultores Juris præmaturô mentis acumine audias

eaque legum cognitione pectus impleas, quibus publico emolumento velificaturus, atque imcomparabilem splendorem virtutis paternæ, semel receptum, ad secuturorum seculorum posteros transmissurus es.

Referunt memoriarum conditores scholam quandam Germaniæ circiter annum æræ Christianæ millesimum quadringentesimum septuagesimum tertium filiis Regum novem, Ducum viginti quatuor, Comitum novendecim, Baronumq; ac Nobilium innumerô numerô floruisse: quam verò laudem tot præclaris Juvenibus tunc temporis debuisse, quantamque felicitatem in scholam ipsam ex illorum Magnifica præsentia redundasse existimaverimus, earundem illam in Perillustri Generositate Tuâ nova incrementa sumere; hancq; nostrarum Musarum castris obtingere

fatendum erit. Studiis nostris inter- es masculè: quapropter fieri non pot- est, ut delitias Academicas memoria excidere; vel intercidere contemptu patiaris.

Et profectò si quicquam est, quod inter tam periculosos publicarum ca- lamitatum fluctus Regios animos in- star anchoræ cujusdam à fluctuatione cohibere & ad acerbissimi seculi in- temperiem honesta animi voluptate temperandum invitare possit, libera- lia studia sunt, quæ Cultoribus suis le- nissimam interni gaudii auram aspi- rant, suiq; asseclas, fatigationibus ex- emptis, ad omnem libertatem postli- minio traducunt. Tantæ jucundi- tatis gustu quasi illecebra inescatus pro generosissima indole non modo literis, sed etiam viris literatis to- to Te nexu indefesi studii atque fa- voris singularis addixisti: Quô igitur

aspe-

aspectu, quâ benignitate Illustriss. ac Generosissima Praeminentia Tua hunc meum licet exiguum, Philosophicum tamen libellum dignatura sit dubitare desisto: posteaquam enim enumerata anticipatæ ætatis dexteritas cum ingenti quadam Clementia tàm sensibili vi in Te & de Te summâ conspiratione depugnant, ut utraque victoriæ particeps, neutra interim sociam non tantùm non repulisse, sed ne excessisse quidem deprehendatur, adeoque ambæ auspicatissimis vindiciis Te integro potiantur: quod omnium, quibuscum in publicis Conventibus sermonem contulisti, secundissimis rumoribus nunciatum, multiplicique testimoniô comprobatum, ad quasvis Musarum sedes velocissimè deferetur.

Quocirca has corporis naturalis contemplationes, quas è libro naturæ mihi

mihi natos, gloriæ divinæ proximiq; ædificationi consecravi, Perillustris Generositatis Tuæ Nomini submississimè nuncupandas duxi: partim ut benevolo Lectori tantò plura inde & excellentiora de præclarissimis moribus Tuis conjiciendi, quò certius hæc pauca de iisdem retuli, occasionem præberem, partim etiam, ut tam in Te Regiam sobolem, quàm erga Serenissimum Parentem, Assertorem Religionis orthodoxæ invictissimum, humillimæ observantiæ meæ publicum monumentum extaret; partim denique, ut studiis meis Clementissimà Utriusq; patrocinia quærere studerem.

Addo quòd sidera minora, non, nisi à præcipuo in se lucem recipiant, unde scil. positus versus Solem plenilunii causa est: aliter enim fore non credidi, quàm ut præsens labor meus, quàm primùm sereno vultui Generosissi-

ſiſsimæ Claritatis Tuæ ſiſtatur, non parum exiſtimationis, quippe quam ſibi à mea tenuitate polliceri vix poterat, ſortiatur.

Haſce ob cauſas Te, Præilluſtris Domine, eâ, quâ debeo, obſervantiâ compello, & ſi vel Magno Alexandro verſus Homeri; vel Potentiſsimo Parenti Tuo pagellæ gratulatoriæ; vel aliis laudatiſsimæ memoriæ Auguſtis ſcripta longè viliora non adeò indigna habita fuerunt, ut oculis minus benignis áſpicerentur, quin ipſi potius Philoſophos à latere, ſanam dodoctrinam ab auribus, libros ab aſpectu, humanarumq; ſcientiarum ſtudium ex animo ſibi nunquam avelli paſsi ſint: Generoſiſsimam Dignitatem Tuam humiliter obſecro, ut eundem in ſe animum erga me, dedicatumq; libellum meum retineat.

Factura eſt rem Regio Juvene longè dignam, viroque cui aliàs ſors

aſperior

aſperior nihil tàm pertinaciter, quàm promerita ſtudiorum juvamina, denegavit, auſpicatam omnimodaque animi gratitudine ſemper acceptam.

Idem Deus, qui ex Regia Suecorum familia, quæ intus fide, foris ferrô omni ſe tempore munivit, Germanorum libertati admirandâ ratione paternam tutelam & patrocinium præſtitit: Idem, qui, poſtquam innata noſtri defenſio non nihil negligi videbatur, GUSTAVUM ADOLPHUM ineffabili heroici Spiritus afflatu ex regionibus maximè diſsitis terræ noſtræ immiſit, ut Eccleſias Teutonicas ab hoſtium furore non ferendo liberaret: idem Clementiſsimus Pater, à cujus nutu & victorioſum & glorioſum ſuſcepti belli eventum ſperamus, Regium Filium in Parente Rege, Huncq; in Filio, examuſsim patriſſante, permultos annos, quod cordicitùs precor, ita virere ac florere jubeat,

beat, ut utriusq; virtus finem nesciat, nec minus tempore non claudatur. Ita vovebam Wittebergæ X. Cal. Octobris, Annô gratiæ cIↃ IↃ CXXXII.

Præillustris

Generositatis

Tuæ

Observantissimus

M. NICOLAUS ZAPFIUS.

Benevolo Lectori

Sal.

P*Agellas, quas sanioris rationis examini submisi, paucas licet, eum tamen in finem exhibeo, ut iis, qui volumen Naturæ Specialiori rerum notitiâ sibimet familiare facturi sunt, desit, quod in generali corporis theoria permultis dubitandi occasionem præbere visum erat; adsit verò, cujus ductu vel ad hortum Medicorum per media erronearum sententiarum discrimina pervenire licitum est. Hunc igitur scopum per easdem pro virili impetratum iri qui confido; æquum benivolumq; animi judicium, pro modo ingenui ingenii tui conatui meo attribui peroptò expeto. Vale, uti faves.*

DUBIA

DUBIA
De
PHYSICA.

Dubium I. An sit Physica, non obstante quòd res naturales, quarum esse debet, cùm ob intellectus angustiam seu imbecillitatem, quâ cunctarum specificas naturas vix attingit; tùm propter rerum varietatem, mutabilitatem &c. quâ hæ animum potius distractum & dubium; quàm ἀμεταπτωτον reddere videntur, satis evidenter comprehendi nequeant?

Resp. Ratio dubitandi tollit tantùm certum perfectionis Physicæ modum seu gradum, *quô partim ratione* intellectus, *cui immediatè inhæret, partim ratione* objectorum specificorum, *circa quæ speciatim ver-*

ſetur, pollere debebat: Certum enim eſt, multarum rerum naturalium, imò plurimarum eſſentias (ſive hoc intelligas de individuis, ſive de inferioribus ſpeciebus) animum non ingredi & hucuſque in materia, cognitione nondum penetratâ, deliteſcere, eò quòd iis contemplandis intellectus noſter non ſufficiat, & hoc ideò, quia tantùm beneficiô τῆς διανοίας*, non autem* intuitivè, *ut loquuntur, noſcit, quorũ modorum illò fieri per ætatem & alia longè plurima obſtacula impoſſibile eſt, quin ab omnibus notioribus ad omnia ignotiora diſcurſum ſeu tranſitum abſolvat. Deinde, quod res ipſas ſpectat, experiri utiq; licet, quàm multæ rerum ſpecies ſint v.g. animalium volatilium, terreſtrium, aquatilium, lapidum &c. quarum varietas, quò minus ſingularum evidens notio detur, eâ obſtat ratione, quâ hæc in omnibus rebus atque negotiis animi ambigui cauſa exiſtit.*

Mutabilitas denique, quæ contingit in individuis, decipit ſæpè ſenſus, quibus errantibus, intellectui ſcrupulus de illorum ſpeciebus nequit non injici, quoniam nihil in intellectu, quin prius in ſenſibus fuerit. Verùm hæc & ſimilia impediunt, ut modò dictum, certum tantummodo gradum ſcientiæ Phyſicæ, quô hujus perfectio abſolvitur, vel probant modò, quòd non quarumlibet ſpecierum Phyſica ſit.

Phy-

Physicam autem esse & quidem non generalem & confusam saltem, seu tantùm ad immediatas species corporum naturalium sese extendentem, *patebit ex decisionibus dubiorum, quæ de Physicæ attributis allaturi sumus: etenim si physica certis attributis gaudet, etiam erit: quia ab est tertii ad est secundi adjecti argumentatio est.*

Dubium 2. Utrùm physica sit scientia, secus scilicet, atq; inductiones, & argumenta probabilia, quibus ad eruendas conclusiones multoties contenta esse debet, suadere videntur?

Resp. Quamvis Physica, quæ est notitia habitualis, ab apprehensione sensuali originem sumat *per inductionem singularium ad universale*, quod suo jure cõtemplatur, *procedẽdo; hoc tamen non impedit quò minus scientia sit: quia enim scientia originaliter respicit quæ tanquam singularia suis speciebus subsunt, dum ea ipsa harum bases ac fundamenta constituunt: Physica tantò magis scientia erit, quantò certiùs species, quas perpendit, specialissimas, in individuis fundatas esse pernoverit.*

Nec rationes probabiles sunt, propter quas sæpissimè usurpatas, Physica nondum possit scientia dici:

Hoc enim non fit per se, quatenus habitis contemplativus est, *cujus actus non, nisi vi demonstrationis elicitur*; sed per accidens, prout à causa topica, quæ contingens & accidentaria est, beneficiò probabilis argumenti, ad apodictam, unde concludat necessitate demonstrativâ, deproperat. Item prout contingit, causam necessariam præ infirmitate humani ingenii investigari non posse; *tunc enim ex accidenti illius imbecillitatis fieri solet Physicam conclusionem argumento probabili inferri: siquidem satius est, conclusionem opinari; quod valemus per rationem topicam, quàm, ignoratâ causâ necessariâ, eandem ignorare, quòd animo obtingeret, nisi de illa probabiliter differeret.*

Scientia ergò est & quidem non prædicatione impropriâ seu accidentali, *quomodo non rarò eæ disciplinæ solent scientiæ dici, quibus tantum accidit scientia, sic quando Philosophia Practica scientia nuncupatur, per metonymiam adjuncti, pro subjecto (prudentia) ita dicitur: vel Synecdochicè sumtâ specie pro genere*: *sed* essentiali, juxta primùm modum καθ' αὑτό, & quidem ita, ut scientiæ voce declaretur, tanquam proximo definitionis genere, *quòd patet trifariam*; *primò enim per se circa objectum evidenter* contem-

contemplabile occupata est. Deinde habet causas objecti essentiales. Denique affectiones per causam necessariam de eodem demonstrat, ut infra patebit.

Dubium 3. Utrùm actus contemplandi, quem Physica edit circa objectum suum peculiarem; an verò objectum, in quo versatur, scientiæ indifferentiam genericam determinet, atq; speciem Physicæ permodum differentiæ absolvat, quorum posterius videtur esse cōmunis Philosophorum sententia, statuentium scientias ab objecto speciem sumere?

Resp. Physica scentia considerari potest bifariam: ratione essentiæ simplicis, *atq;* respectu causalitatis, *& quidem duplicis*: formalis *atq;* efficientis.

Deinde aliud est differētiam generi largiri & conferre; & aliud genus limitando, eandem ex se & sua natura esse. *Hisce assertis, dicimus rationem seu differentiam scientiæ Physicæ* secūdum esse simplex *spectatæ, consistere in intensione graduali, seu in modô, quô apta nata est intēdi, nempe crebris actibus, circa objectum naturale ab intellectu speculativo elicitis, non secus, atq; qualibet quantitas in*

extensione collocatur: quia uti extensio hujus: ita intensio illius internè limitat ac restringit modũ inhærendi, per quem (qualitas & quantitas) accidentia sunt. Atq; sic objectum causa quidem est, unde hæc intensio oritur, sed tantùm objectiva, quæ generi (scientiæ) internam rationem, qua ab aliis scientiis, specie distinctis, Physica specie quoq; diversa fit, quasi imprimit & confert; non tamen nomine & munere differentiæ, *quasi scil. talis fit,* sed objecti.

Porrò respectu causalitatis formalis *si attenditur Physica, juxta quam scilicet formæ intellectus nostri accidentalis est, utpote, quem actuat perficit atq; in objectũ, quod corpus naturale est, dirigit; intima ipsius ratio, seu differentia, est actus intellectum in contemplatione corporis naturalis facilem & expeditum reddendi; probo: influxus formalis in materiam est ratio formæ, quod nemo negat. Ergò actus seu influxus formalis accidentis in potentiam, cui, subjectivè, inhæret: ratio formæ accidentalis erit: Ergò actus, intellectivam δύναμιν ad corpus verè cognoscendum expeditam reddẽs, dum à physica proficiscitur, ejusdem juxta respectum prædictum, ratio erit; objectum interim fundamentum, circa quod animus & physica aliàs suam occupant industriam.*

Tandem

Tandem, quod attinet rationem efficientis, quam ſortitur Phyſica ſcientia, *prout intellectus ſpeculativi cauſa inſtrumentalis eſt, cujus uſu corpus naturale apprehendit & evidenter cognoſcit : ratio ejus conſiſtit in influxu ſeu actione, qua directè in corpus naturale tendit idq; in cauſis & affectionibus propriis indubitatè perpendit* : *nam omnis Efficientis cauſæ ratio interna eſt influxus ſeu actio, quâ dicitur agens : at phyſica in hac ultima conſideratione eſt cauſa efficiens ? Ergò ratio ejusdem eſt influere ſeu agere & quidem participativè vel inſtrumentaliter, vi agentis principalis, in corpus naturale. Atque hoc modo objectum iterum non* ratio Phyſicæ interna ; *ſed* terminus in quem, ſeu materia circa quam, *vocari meretur, non negatô, quòd Phyſica conſiderando eidem innitatur, tanquam fundamento. Quando igitur dicitur ſcientiam ab objecto ſpeciem ſeu diſcrimen ſpecificum accipere, patet, quod hoc deſumat ab illo tanquam* à principio ſubjacente, *non verò* eſſentiam habitus phyſici ingrediente.

Et porrò, ſi quæratur quænã cõſideratio rationis phyſicæ ſit primaria, aſſerimus, eam, qua præſuppoſitâ duplici priori, ut cauſſa, intellectui ſubordinata, *definitur, nempe quod ſit ſcientia, quæ conſiderat corpus naturale : hac enim ratio ultimum Phyſicæ complemen-*

tum est, generi & rationibus prioribus super additum, inq; quo ipsam proinde perfectè declarasse huic instituto consentaneum erat.

Dubium 4. Utrum actus contemplandi corpus ejusdemq; principia essentialia; an verò affectiones, quippe quæ incõclusionibus (quarum scientia ex professo esse dicitur (de corpore supposito, præsuppositisq; principiis illis affirmantur, physicæ primarius sit?

Resp. Triplex est operatio seu actus, quo physica notitia absolvitur: unus quò in objectũ fertur: *alter* cujus beneficio principia objecti sui, quod est corpus naturale, attendit: *ac tertius deniq;,* quò affectiones de corpore, vi caussarum concludit. *Quod igitur attinet dubium, sciendum est, scientiam, & speciatim, physicam, esse ac dici habitum conclusionum* non ideò, quasi nulla principia cognoscat: *demonstrat enim ex loco caussarum & quidem essentialium, quod fieri impossibile esset, si caussarum illarum nullam haberet notitiam;* sed comparatione, quà ad habitum intelligentiæ ac sapientiæ ordinatur: *quia namq; omnia ea, quæ physica attendit, ex habitibus illis, tanquam omnium generalissimis, fluunt & concluduntur: respectu eorum Res naturales seu notiones rerum physica-*

physicarum, & quidem complexæ, meritò conclusiones, quarum physica scientia est, nuncupantur, ita tamen, ut noemata illa, ex quibus physica porrò conclusiones format, in Physicis, ratione illarum conclusionum, principia sint, ac proinde Physica, utut alio respectu circa conclusiones tantùm versari dicatur, etiam principia cognoscat. Utrum verò in cognoscendis illis occupatus sit πρώτως, nec ne, ita declaramus: propter quod unū quodq; tale, idipsum est magis tale: jamverò affectiones, quemadmodum à corpore essentiam habent; sunt considerationis Physicæ propter corpus ejusdemq; principia constitutiva, ut enim intellectus plenariam corporis Physici notitiam possideat; idem in affectionibus adeoq; toto apparatu suo cognoscit: Ergò relinquitur actum, illud (corpus) contemplandi, in scientia naturali, esse primarium. *Quod si verò sermo sit* de actu sciendi magis peculiari, *dicendum illum*, qui dirigitur in prædicata seu affectiones proprias, adeoque conclusiones necessarias, *talem potius esse, atq;* qui exercetur circa corpus, spectatū sub ratione principii seu fundamenti in Physicis omniū primi. *Nā per causam necessaria concludere, scientiam ab omni habitu, qui scientia nondum est, distinguit, tanquam ultima ratio diversitatis; attendere verò prin-*

cipium redolet ingenium intelligentis: quantò magis ideoq; Physica scientia erit; tantò minus prædicata conclusionis præ subjecto & medio speculari negliget.

Dubium 5. Quo sensu vocetur sciētia naturalis, an ideò quia intellectui per naturam insit, an verò, propterea, quoniam circa naturam occupetur, quorum illud, si statuatur, erunt habitus connati, quod videtur falsum; sin hoc: denominatio erit inadæquata: non n. circa naturam tantùm, sed etiam circa alias causas corporisq; affectiones versatur, qua ratione scientia non minus verbi g. materialis, formalis, quantitativa, mobilis &c. erit, eò quòd circa materiam, formam &c. occupata sit?

Resp. Non ideò naturalis dicitur, quia per nativitatem naturaliter conveniat homini: *non enim dantur habitus connati, quia hi per crebras exercitationes insunt, & posito, dari tales; non tamen tantæ perfectionis essent, prout à natura proficiscerentur, in quanta hoc loco physica declaranda venit; hanc enim crebris exercitiis comparatam intendimus, quæq;, nisi statuere velis quemvis idiotam perfectum*

fectum physicum esse, per naturam homini maximè competit.

Naturalis tamen denominatur ab objecto, quod est corpus naturale, constans materia, & forma communi nomine natura appellatis; *& quidem illud non immerito, quia n. habitus ab objecto speciem nanciscitur; hanc consequentia quoq; inde habebit, è quorum censu attributum naturale est, quod physicam naturalem prædicat. Nec obstat, quod hoc prædicatum videatur inadæquatum esse; sin. attendimus, quâ ratione reliqua, quæ sub Physicæ considerationem veniunt, v.g. materia, forma &c. sciri velint, deprehendimus, nulla aliâ, quàm* juxta quam naturalia sunt, *id fieri debere: aliàs n. illa in contemplatione naturæ seu corporis naturalis per accidens occurrerent, dum scil. sub ratione, à natura prorsum diversa spectarentur, quod falsum. Quare utut physica, præter naturam, v.g. Quantitatem, Qualitatem, motum &c. contempletur: nihilominus tamen earum differentias ad naturam, tanquam ad rationem primariam,* sub qua conceptus, hanc nondum subterfugientes, speculatur *revocat. Sic motum, exempli ergò, physica demonstrat,* non ut sic, seu reduplicativè; *sed* ut est naturalis, seu necessarium attributum naturæ: *Si n. hunc illô modo tractaret ejusdem*

conceptus

conceptus esset communis tàm naturali, quàm non naturali, atque ita non esset adæquatum corporis naturalis attributum, quod absurdū. Idem judicandum est de similibus quæ in Physicis spectantur; & proinde concludendum, Physicam à natura seu naturali propriam sortiri denominationem, præ quibusvis aliarum notionum Physicalium differentiis, quæ physicam scientiam, mediante natura, de qua participant, respiciunt.

Dubium 6. Vtrum Physica non, nisi in partem generalem, ac specialem dividi debeat, cùm Aristoteles & alii physici isthanc divisionem in pertractādis rebus naturalibus multifariam neglexisse videantur, multas scil. quæ ad specialem spectant in generali attendendo, ut v. g. causam fortuitam l.2.cap.4.Phys. t. 39. & seqq. item non rarò ex aliis disciplinis in utraq; Philosophando, qn. ille g. exempli, in lib. 1. de principiis disserit, quæ consideratio ad Philosophum primum pertinere videtur. Cùm præterea singularia nonnulla ad Physicam pertineant, ut sol, luna &c. quæ tamen alterutrâ parte

quæ

quæ generalis, vel ſpecialis; non verò ſingularis dicitur, non exprimuntur, quà comprehendi debebant?

Reſp. Non negâtur, unam eandemq́; rem, & hoc loco phyſicam, multifariam diſpeſci poſſe, ſi quæſtio ſit de diviſione qualicunque: *nam ſicut illa multas deſcriptiones admittit, ſed accidentales : ita accidentali varietate non una gaudet ; ſed aliam atque aliam diviſionem non reſpuit.*

Nobis verò dubium eſt, de modô dividendi eſſentiali, *qualis unicus eſt, quo ſcientia naturalis in generalem & ſpecialem partem commodè dividitur, quarum illa de corpore & ejus affectionibus in genere ; hæc de talibus in ſpecie agit : & quidem ob hanc cauſam ; quoniam res ipſa, à qua Phyſica nomen & eſſentiam ſortitur, ſecus nondum exiſtit : eſt n. vel generalis ; vel ſpecialis : hinc quoque eam, quam de ſe requirit notitiam, non, niſi genericam atque ſpecificam arguit.* Per accidens *autem*, fieri ſolet *vel Ariſtotelem, vel alios phyſicos talia, quæ non ſunt, illius, in qua proponuntur, partis, adducere, ut modò de fortuna judicari debet. Principia porrò non* in tranſcendentali ſignificatione, ſed in determinatione ad res phyſicas, inde proficiſcentes, *Philoſophus l. c. declaravit, & poſitô, quòd in illo ſpectata ſint, valebit reſponſio*

ſuperius

superius de fortuna data, incidenter *nempe terminum v.g. principii, actus &c. idem explicasset.*

Ad singularia deniq; quod attinet, non nulla (fatemur) ad specialem physicæ partem reducuntur tanquam bases specierum; item tanquam termini à quibus cōceptus physici universales abstrahuntur: non tamen ad ullam *physicæ partem* directè & essentialiter pertinent, *sed itidem* accidentaliter saltem & exempli locò inductionis beneficiò adduci possunt. *Quòd autem sol, luna &c.* singularia *sint, sicuti existimant nonnulli, tantùm abest, ut certum potius sit, ipsa* propriissimè species *esse, nam hic sol, hæc luna &c. singularia sunt; non autem sol, luna & id genus alia,* quæ licet in uno individuo existant, species nihilominus esse perseverant, *cùm natura specifica, ad quam requiritur essentia in pluribus individuis multiplicabilis, non autem actu in pluribus multiplicata, in unico individuo, sicut genus in una specie, conservari possit. De* sole, *igitur* specie, *non de* hoc sole, individuo *agit Physica & proinde non definit specialiter ipsum huicq; similia objecta specifica consideraſſe. Atque sic* in infimis speciebus subsistit, quò minus ad singularia per se extēdatur: *utpote quæ potentiis seu facultatibus sensuum externorum relinquit.* Du-

Dubium 7. Vtrum detur pura & ſimplex rerum naturalium inſcitia, quæ præter nudam quãdam δύναμιν, habitum Phyſices recipiendi, nihil eſſentię ac perfectionis hujus includat: quamquam n. hæc ipſa dari poſsit ex parte intellectus; quia ſcientia phyſica non eſt de hujus eſſentiâ, neq; ratio adeſt, quâ eam ex intellectus eſſentia, tanquam accidens proprium fluere aſſeramus: non tamen ex parte objectorum ſeu rerum naturalium videtur fieri poſſe, quin intellectus hominis, vel quàm primũ actu exiſtat, ab omni rerum phyſicarum cognitione vacuus ſit, eò, quòd huic, niſi eum extra mundum in nihilo collocaveris, ſemper & ubique tales objiciantur atque præſtò ſint?

Reſp. Non quidem ejusmodi inſcitia *per cauſam adductam, in ullo hominum reperitur,* quâ nihil rerum naturalium hic ipſe cognoſcat: *certum n. eſt intellectum nullo temporis tractu ab actuali rerum Phyſicarum apprehenſione protinus liberum, otium agere, dum illæ potentiæ ſuæ præſto ſunt. At verò quia*

nec

nec qualiscunq; naturalium cognitio, *nec* qualisqualis rem Physicam opinādi actus *scientiam notat, quoniam illa intellectum in Physicis intelligentem; hic eundem in iisdem opinantem seu credentem; minimè autem scientem denominat, utpote quod ipsi contingit, si per necessariam causam rem cognoscit ita, ut certus sit, hanc sese propter illam aliter habere non posse:* asserendū utiq; est inscitiam, superius descriptam, inter homines passim reperiri: *quia pauci per causam necessariam contemplantur. Et quamvis in omniū animis, colloces* aliquales notitias & actus, *ea tamē quoties non procedūt per causam necessariam, sub ratione causæ necessariæ præcognitam; δυνάμεως* nomine venient in comparatione cum scientia, à qua terminantur & perficiuntur, habituali; *vel alio respectu non tàm* scientiæ Physicæ quid *erunt, quàm* actus causales præviam scientiæ Physicæ dispositionem animo imprimentes. *Sed dicas: ergonè præter nudā δύναμιν, dispositio quædam menti, illis de hac assertis, inest, quâ data quid habitus Physici nihilominꝰ inexistet, quia hæc cum habitu nō, nisi gradualem discrepantiam, fovet:* Concedo remotam, *quæ, cùm non per causam necessariam insit:* nihil essentiæ scientiæ Physicæ importat, *sed* aliquis saltem gradus hábitualis opinionis est, à scientiæ habitu formaliter diversæ.

DUBIA
De
CORPORE.

DUbium 1. Utrum corpus naturale Physicæ scieutiæ objectum sit, atque non potiùs ad doctrinam metaphysicam pertineat, quippè quæ substantiam in Spiritum & Corpus dispescit, quod facere non posset, nisi ipsum attenderet?

Resp. Corpus Physicum (*nam quod Mathematicum illud concernit non tàm corpus, quam corporis, scil. quantitas, est*) Physicæ scientiæ objectum esse, *à saniorum nemine negari potest; siquidem omnibus objecti requisitis gaudet, habendo scilicet principia & proprias affectiones, in quibus sub distincta ratione formali, qualis est: naturale esse, evidenter sciri valet, & quidem non nisi à Physica, quia reliquarum scientiarum quælibet peculiare sibi objectum vendicat, quod corpus naturale minimè est, huic verò (Physicæ scil.) nullum âliud, præter corpus naturale, si talis quædam, qualis vocatur esse, sit, aßignari potest: esse enim scientiam Physicam*

& non versari adæquatè circa id, quod Physicum πρώτως est, implicat.

Negamus autem corpus naturale ad Metaphysicam pertinere: nam etiamsi hæc substantiam, primarium Entis analogatum dividat in Spiritum, & corpus, *hoc tamen facit* secundariò; *non verò* quasi exacta corporis consideratio metaphysica sit. Illud *quidem ideò, quia substantiæ latitudinem transcendentalem in Spiritu & corpore ostendit, quòd nempe substantiæ ratio sese ad utrumque extendat, membris verò, dividentibus hanc, eorundem q; rationibus seu differentiis specificis, aliis scientiarum generibus scil. Spiritu pneumaticæ, & corpore Physicæ, præscriptis & relictis.*

Hoc: *quia aliàs μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος committeret; considerando tale, quatenus naturale, cum tamē natura non sit è genere transcendentium, quæ sola in prima Philosophia spectari debent, uti alibi de hac materia fusiùs agitur. Nibil igitur obstat, quò minus corpus naturale objectum Physicæ sit.*

Dubium 2. An corpus sub scientiam suam cadat, quâ naturale; an verò, quâ mobile, ut quidam sentiunt, quoniam motus in eo præ cæteris attributis,

butis, tàm præclarum quoddam eſt, quàm quod maximè ſenſibile quodque animo ad corpus percipiendum plurimum lucis præbet?

Reſp. Neque motus, ut ſic, ſeu in genere ſpectatus, eſt ſenſibilis (individua enim tantummodò ſenſibilia ſunt (neque, ſenſibile eſſe cauſa exiſtit; ob quam attributum aliquod modum objecti conſiderandi potius importet: Hinc ergò concludi non poteſt, quod ſub ratione mobilitatis objectum Phyſicæ ſpectari debeat, utut concedatur, motum aliàs inter reliqua attributa accidentalia præclariſſimum dici: proprii enim accidentis prærogativa, non minuit accidens, illud reſpectu ſubjècti ſui tantò magis de ratione formali eſſe.

Naturale verò rationem & modum corpus conſiderandi involvit: *non enim ut mobile (denominativum) in corpus (denominatum) & motum ſeu mobilitatem (formam accidentaliter denominantem) ſed in illud, & naturam, quæ formam ſeu* rationem ion qualemçunque; ſed internam noat, *reſolvitur.*

Quocirca argumentamur: Quod iternam rationem & differentiam

exprimit, illud modum considerandi largitur: at naturale hoc præstat, uti declaratum est. Ergò modum importat corpus considerandi, ut scil. corpus considerare prout è naturale, idem sit, ac prout materiâ & formâ constat: quoniam natura præter hasce partes, essentialiter unitas atque mutua ope propria accidentia suâ sponte causantes, nihil est, quemadmodum infra, de Natura, *dicetur. Summatim itaque asserendum est, Corpus* mobile *vocari nō* formaliter, *sed* accidētaliter, *& quidem æquè, atq; si quantum, quale &c. prædicetur, quia & talia accidentia attributa corporis propria sunt; quô stante, non viderem, quid obstaret, quò minus etiam dicerem, corpus sub ratione eâ, quâ quantum, vel locabile v. g. est in Physicis cognosci, modò verum itidem sit, mobile rationem corporis sub qua adæquatè sciatur, involvere, dum hujus duntaxat proprium accidens est.*

Dubium 3. Quòd si ergò Corpus Physicè contemplari, prout naturale est, Perinde sit, atque idem attendere, quâ constat materiâ & formâ: quomodo isthæc ratio considerandi exprimit considerationem corporis, prout est quantum, quale & aliis attributis

tributis præditum, cùm talia nomine naturalis minimè venire videantur, quia naturale ut dictum, τῷ constare materiâ & formâ; non verò quantitate; qualitate &c. præditum esse, æquipolleat. Item si naturale idem sit, quale superius indigitatum est; quomodo de affectionibus prædicari poterit, quippe quæ materiâ & forma non constant?

Resp. Quando statuitur, corpus naturale, seu corpus, constans materiâ & formâ, objectum Physicæ adæquatum esse, non accipitur terminus corporis in ea significatione, quâ affectionibus & reliquis causis, quas habet, præter materiam & formam, opponitur; *sed* quâ supponit pro corpore, in toto suo apparatu *non essentiam tantùm* præcisam; *verùm etiã* essentialia attributa, *importante: quia omne objectum scientiæ objectũ tunc demum est, quando, præter nudam essentiam, hujus quoque causas & essentialia attributa habet: aliàs non posset demonstrationem ingredi, quæ scientiarum propria est. Quia igitur corpus naturale objectum hoc loco adæquatum sit, causas simul cum affectionibus propriis includat,*

necesse est. Et quamvis alio respectu affectionib. suis opponatur, quatenus nempe in attributis peculiaribus, *cujusmodi v.g. est: esse objectum & non esse affectionem, subjici affectionibus &c. spectatur;* quatenus tamen, intellectui speculativo primò sistitur, demonstrativè contemplandum, item pront cum scientia Physica confertur, nbi hanc adæquatè respiciat, *affectiones includit. Negandum itaque est, quantitatem, qualitatem & reliquas affectiones corporis naturalis nomine τȣ͂ naturalis prorsum non venire, quin potius, quia à natura, per naturam & in natura existunt, multifariam naturales dici mereantur, atque licet* non *πρώτως (quemadmodum nec entia sunt hoc modô) tamen δευτέρως* & per participationem, *quâ id, quod sunt, à natura corporis habent. Sed dicis: ergòne δευτέρως materiâ & formâ constant, quia taliter naturales sunt, & naturale nihil est, quàm illis constare?*

Resp. Majoris consequentiam negamus, nam etiamsi verum sit: quicquid πρώτως naturale est, illud etiam materiâ & formâ constat & contra; non tamen valet: quicquid δευτέρως est naturale, idem materiâ & formâ constat, multò minus: idem δευτέρως materiâ & formâ constat; de quo enim negatur

negatur res, de eo etiam modus negatur: Verùm eo ipſo potius dicendum venit, id, quod ſecundariò naturale eſt, materiâ & formâ nondum conſtare: Siquidem ideò corpus primariò naturale dicitur, quia non tantùm prædicatione in quale; *ſed etiam tali* in quid *naturale vocatur: Affectio verò naturalis* ſolummodò *per prædicationem* in quale. *Illud propterea, quoniam* non tantùm ab externa cauſa naturali proficiſcitur, *quâ ratione per extrinſecam denominationem naturale nuncupatur*, ſed etiam Naturam, *id eſt*, materiam & formam intus poſsidet, *utpote quibus eſſentia ipſius abſolvitur. Hoc, quia naturalis dicitur, non niſi à cauſa externa v. g.* effectivè, *quia à natura principio corporis interno promanat & aliò reſpectu* ſubjectivè, *dum naturali corpori ineſt. Innoteſcit igitur, quô pactô naturale conveniat tùm corpori, tùm etiam quæ corpori conveniunt.*

Dubium 4. An corpus in Phyſicis queat definiri, utrum verò à poſteriori ſaltem declaretur, eò quod in illis non habeat genus ſe ſuperius, ſed ſit rerum Phyſicarum partis ſpecialis primum quoddam?

Resp. *Omnes conceptus, qui in parte scientiæ generali occurrunt,* genere quidem illius *scientiæ destituuntur, unde certum est, eosdem* terminis domesticis inibi *non posse* à priori & perfectè *definiri: at verò quia generalissimis disciplinis subsunt,* ex iisdem genera eorum deposcenda veniunt, *quò fit ut genere alterius, & differentiâ propria disciplinæ definiantur, id quod hac vice de corpore, affirmamus quamvis enim in physicis careat genere,* ex Intelligentia *tamen idem accipit, prout consideratur ratione, quâ menti seu intellectui primò repræsentatur, nempe ut ex illa* objectum *salutetur, quo de supra, vel aliâ consideratione* ex Metaphysica, ut *est* substantia, *quæ in parte Metaphysicæ speciali, Corpus, ut genus, respicit, vel etiam* ex Logica, *quod si de corpore judicium Logicum fuerit, dum scilicet ex demonstrativo syllogismo terminum subjecti, qui demonstrationis minor est, sibi imponi patitur, simile judicium esto de reliquis partis generalis,, notionibus, modò videatur ut ex prædictis,, disciplis generalissimis genera* proxima, *& non* remota, *sicut communiter fieri solet, ad generales scientiarum conceptus definiendos depromantur. Item ne, dum in considerandos rebus occupati simus, quod in scientiis realibus fieri debet,* luxuriemus *in logicalibus.*

Du-

Dubium 5. Vtrum corpus na-
:urale ſit ſubſtantia à ſubſiſtentia, quâ
›er ſe & non in alio tanquam in ſub-
ecto exiſtat; an verò talis à ſubſtan-
lo, quia attributis propriis tanquam
ìbjectum ſubſtat, quorum illud,
ıon videtur aſſeri poſſe, dum ſcilicet
ıullum datur corpus, quod non in
lio exiſtentiam habeat, ſic arbor in
ere, piſcis, in aqua, ſtella in cœlo,
mmò quicquid per ſe corpus eſt, in
lio exiſtit, ſi unicum mundum ex-
ipias, in nihilo exiſtentem, poſitô,
uod extra eundem non aliud cor-
us detur, qui tamen non corpus per
, de quo, dubitatur, ſed per accidens
t. Item quanquam concedatur
›rpus ſubſiſtere, non tamen vide-
ır propriâ ſubſiſtentiâ ſubſtantia di-
poſſe, cùm communi & perpetuô
ncnlô cum aliis corporibus quod-
›et ſit unitum, ita, ut datâ interca-
:dine ſeu vacuô, nullum conſiſte-
:t, ceu ſingulare, & infallibile indi-
um eſt metus vacui, præ quô cor-

pus naturale eò sæpè præceps nititur, quò non tenderet secundum naturam, nisi periculum sit, se aliàs ab aliis corporibus divelli quo minus communi influxu & consistentia frui poßit?

Resp. Nullum est dubium, quin corpus à substando, prout accidentibus suis subest *substantia, vel subjectum dici valeat, utut talis non esset per subsistentiam. Quod verò attinet ad hanc, quam allatus discursus de illo inficias ibat, asserimus præterea, corpus substantiam quoque definiri quà subsistit & quidem subsistentiam propriam habendo: quamvis enim corpora,* in se invicem exi-stant, *ut superius enumeravimus; non tamen in existentiâ* accidentali, quà per hanc sint, quicquid sunt, unum in alio est, *uti, v. g. accidens, quicquid est, per inexistentiam seu inhæsionẽ est; sed* eà, quà vel tanquam per modũ locati in locante; vel partis in toto insunt, *sic piscis in aqua existit, tanquam locatum in corpore locante, seu circumscribente illud; non verò tãquam in subjecto inhæsionis; aliàs piscis quicquid esset, per inexistentiam quâ hæreat in aqua, esset, quod contra experientiam, dum piscibus, aquis extractis, inq; cibum conversis, tanquam aliquibus, frui scimus.*

timus: & licet extractus in aere existat; sufficit, tamen ipsum non tanquam in subjecto, d, uti dictum est, tanquam in corpore locante existere.

Porrò corpus propriam subsistentiam habere probatur, partim negativè *: Quia non consistit in inesse ut supra. Majoris consequentia firma est, negata enim inhærentiâ, oppidò de re (si modò quæ sit) subsistentia, quâ propriâ ab accidente diversa sit, asserenda venit; partim* positivè : *quia per se, id est, principiis essentialibus & substantialibus, nempe materiâ & formâ existit & consistit: qua ratione existendi corpus propriam subsistentiã habet non tantùm* respectu accidentium *quibus talis subsistentia non est communis, sed etiam* respectu aliarum substantiarũ tàm completarum, quàm incompletarũ, utpote materiâ & formâ nondum cõstantium.

Quanquam a. corpus cum alio & in alio *certo modum* existat *vel tanquam in locãte, vel in toto per accidens (quale universum est)* hoc tamẽ tantummodò est, cur statuendũ, corporũ species, præter subsistentias, quibus gaudẽt propriis, subsistere subsistentia quadam cõmuni, quatenus considerantur secundum modum partiũ. Universi, dum communi conjugio & *vinculo invicem existentes ὑφιστάμενον per accidens constituunt, quale sc. totus mundus est.* *His*

His ita declaratis, tenendum prætereà, quòd corpora naturalia invicem non, immediatè existant, *id quod caussa esset utiq́ue, quare communi subsistentia gauderent, sicut materia & forma dum, nullo interveniente accidēte, externo se intimè attingunt, cōmuni subsistantiæ modò subsistunt, ac proinde ὑφιστάμενον corporis per se tale constituunt: verùm* quod accidentaliter contigua sint, *& quidem non* ut cōsistant quoad esse, *sed* tantùm quoad influxum atq; conservationem universi. *Sic corpus arboris v.g. attingit corpus aeris; hocq́ue vicissim illud interventu v.g. superficierum utriusq́ue atq́ue ita nō per se in existunt; verum per accidens sese attingunt.*

Dubium 6. An corpus naturale constet materiâ & formâ: apparet n. æquè statui posse, corpus in se simplex esse & tantùm diversas affectiones sortiri, quibus partim passivè, partim activè se habeat, non secus, atque essentia spiritus simplex est, quamvis ex eadem diversissima atttibuta resultent.

Resp. Corpus quidem, generaliter consideratum simplex est eò modò, quò sensibilem impuritatem seu mixtionē respuit, *quemadmodum, ut sic, sensibile nequaquā est:* non tamen negari potest, idem ex materiâ &

& forma constare: *quia præditum est ejusmodi affectionibus quas ex essentia, minus cõposita fluere impossibile est: pati n. & quidem influxum alterius naturalem adeoq; internæ corporum immutationi subesse materiæ convenit, ut infra videbimus; materiam deinde ad certum corpus restringere, & esse specificum elargiri, formæ: jamverò hæc attributa in uno eodemq; corpore deprehenduntur: quod in singularibus patet ad sensum: Ergò materia & forma in corpore existunt & quidem essentiam corporis compositam arguentes aliàs idem pateretur, & actuaret, quod ἀδυώατον. Dispar a. ratio in essentia Spiritus obtinet: licet enim v.g. intellectus, & voluntas ex ipsius natura oriantur,* tanquam attributa diversa: *quia tamen in diversa tendũt,* non in se invicem, *aliam atque aliam essentiam spiritus partialem, unde existant, minimè important, quod de ratione patiendi & subessendi, atq restringendi dici non potest: ad se namq; nisu obversô mutuò diriguntur, quam ob causam Philosophus principia, quorũ illæ rationes causales sunt, contraria vocarit. Quodsi igitur illas ab una eademq; essentia simplici promanare dixeris, idem, simpliciter tale, habebit, unde sibiipsi obvertatur quod falsum.*

Dubium 7. An constantia sen compositio illa, qua corpus compositum deno-

denominatur, sit essentialis, an quâ corpus sit unum seu compositum per accidens;& quidem hoc ipsum potius ideò, quia componibilia non solùm diversas entitates atque rationes formales substantiales habent, sed etiam peculiaribus accidentibus gaudent quibus mediantibus sese attingunt?

Resp. Duo sunt requisita primaria, quibus de compositione assertis, compositio essentialis est. Unum, quod componibilia necessariò cōcurrant: *quod n. per se & essentiale est, illud in aliquo necessitatis gradu sit, oportet, ceu ex demonstratione liquet: si igitur cōpositio quadam necessaria est, essentialis erit, & vice versâ; si per se & essentialis sit necessaria est: Alterum quòd componibilia* immediatè coalescant sine accidentis intervenientis concursu, quod fit si ultimò complementò subsistentiæ destituuntur.

Prius *compositioni Physicæ convenit: quia componibilia sunt causæ naturales, quarum nulla contingenter influit, ut apud Physicos in confesso est: item quia neutrum potest absq; altero seorsim existere; ideò, quòd utrumq; propriâ subsistentiâ destitutum sit.*

Posterius *itidem: quia forma, actus, in materiam, potentiam passivam, immediatè immergitur*

ergitur nullo accidente interveniente, atq; forma, nec materia subsistentiâ propriâ sesim subsistunt. Ergò relinquitur, compositionem illam essentialem esse.

Nota tn. quod componibilia sese per se respiunt sub ratione causalitatum i. e. prout ateria, causa corporis subjectiva; *forma usa actuans & informans est, per accidentem verò modum, qua spectantur juxta essenm absolutam, eò, quòd unum alterius essenm non ingrediatur.*

Quod a. rationem dubitandi attinet, negas componibilia accidentibus diversis gaure, quibus mediantibus se attingant, nam lquam unita sunt accidentia demum ex iism resultant, hinc est cur materia nec quannec qualis &c. dicatur. Et quamvis actus tringendi *ex parte formæ, &* potentia tiendi *ex parte materiæ intersit, non tan sunt* accidētia, *quæ compositionem Phym ingrediantur, sed* rationes formales ısarum.

Dubium 8. An Nihil negativum, verò privativum corpori Physicè ponatur: etenim pro affirmativa oris adduci potest, quòd tātò magis rpori quid opponatur, quātò minus rporis naturam habet: at negativū nihil

nihil corpus non tantùm formaliter, ſed etiam materialiter nondum eſt. Ergò potius opponitur corpori, quàm privativum quod formâ deſtitutum materiam ſupponit?

Reſp. Non eſt dubium, quin nihil omnimodum longius à corpore diſtet, quàm quod corporis nonnihil includit, atq; ideò magis opponatur illi, quàm hoc: verùm de eo non eſt quæſtio, ſed quæritur utrum Phyſicè & adæquatè opponatur vel nihil negativum vel privativum. Igitur aſſerimus non negativum, *ſed* privativum *corpori adæquatè opponi: nam illud corpori opponitur inadæquatè, prout hoc ipſum* eſt ens. *Privativum a. nihil eidem opponitur, quá* conſtat materiâ & formâ: *eſt n. conceptus denominativus duo involvens: ſubjectum denominatum & carentiam ſeu privationem formæ naturalis, qua negatâ, corpori, quod iſtam eſſentialiter involvit, adverſatur, & ſic non quidem non ens* tranſcendentaliter; *ſed non ens* corporis ſeu Phyſicè tale *dici meretur, negata n. parte eſſentiali alterutrâ, negatur compoſitio, negatâ cõpoſitione, compoſitum negatur, quæ cùm de privativo Nihilo affirmentur, concludendum eſt, ipſum non ens corporis, uti dictum, importare.*

DUBIA
De
MATERIA.

DUbium 1. Propterea, quia natura seu essentia materiæ corporis na- ıralis, quam asserunt Physici, adeò te- ıis & abstusa est, ut vel ex sententia hilosophi, nec quid, nec quanta, nec ıalis &c. esse credatur, & quamvis :neratio detur, ea tamen non mate- ım hujus loci, quàm ex abundanti imam (quia enim materia est in ge- :re & absq; determinatione; sine ad- to liquet quod prima sit) vocant; sed ateriam illius transmutationis seu nerationis; quæ sanè non partis ge- :ralis sed specialis certa causa mate- ılis est, arguat, dubium permagnum itur, utrum in rei veritate detur ateria?

Resp. Quemadmodum in demonstrandis ısis utimur demonstratione τοῦ ὅτι, locô dii causatum assumendo: ita hoc loco ad nonstrandam, materiam ut & ad reliquas

causas alibi inferendas ac invictissimum argumentum præbet corpus, *quod materiæ necessarium atq; immediatũ causatum est, utpote: Datur materiatum seu constans materiâ & formâ: (quam minorem præcedens tractatus de corpore statuminat) Ergò datur materia. Item datur materia hæc: Ergò & materia. Ergò intellectui notissimum est quòd materia sit*, vi demonstrationis; *licet eadem* sensibus externis non percipiatur: *tantò namque magis universalis seu communis conceptus naturam involvit; nullum siquidem universale noema per se sensibile est. Essentiam verò tenuem & abstrusam habere dicitur* ex parte nostri; *dum accidit eandem ab ingenio quorundam humano non satis cognosci*; non ex parte sui quasi esse deficiat: *est enim substantia, quia talem constituit. Deinde neque quid, neque cætera est* in genere substantiarum completarum: *quoniam caret subsistentiâ propriâ, & quod affectiones harum spectat, causa est, unde hæ proficiscuntur, si formaliter intelligitur hinc non dicitur v. g. quanta, qualis &c. ut meritò Philosophus asseruit. Interim est quid* in causarum genere, *est causa licet non* activa *seu actuans*; *tamen* passiva, *fundamentum reliquarum causarum, harumq; causatorum*.

Denique

Denique quando Philosophi à generatione materiam hujus loci concludunt, id quidem non per medium immediatum *fit: quia mediante compositione materiali generatio materiam respicit: etenim compositio materialis seu materiæ cum forma est conceptus genericus generationis, notionis specificæ seu partis specialis. Igitur immediatè concludit materiam generationis, quod negari nequit: at verò* mediatè *infertur generationis conceptu Materia, quæ hujus considerationis est, ut: datur compositio ex materiâ & forma generabilium, id est, generatio, datur etiam compositio ex materia & forma: data hac, dabitur quoque materia componens, & sic demum eruitur causa hujus loci materialis.*

Dubium 2. An materia sit causa corporis naturalis, & quidem interna, nec ne; dum nullum influxum ad materiatum causandum præbere videtur: siquidem tantummodo recipit, nec ullam vim activitatis exercet, rem dum non prior materiato; sed æquè terminus productionis est?

Resp. Influere nihil aliud est, quàm dare esse *quidem vel* simile causæ influentis; *vel*

 propri-

proprium, *quorum cùm hoc* posterius *de materia affirmetur: siquidem essentiam suam materialem corpori largitur, quia hoc ex formâ & materia constat, inde enim utraq; causa constitutionis appellatur: materia utique non potest nondũ corporis causa esse & quidẽ interna ideò: quia essentiam corporis ingreditur, ad discrimen efficientis externæ, quæ quidem essentiam corpori largitur, non verò eandem ingreditur.*

Nec porrò obstat, quôd tantùm recipiat: ideò enim (quia scil. recipit) subjectum formarum commune est; ut ita recipere *non tàm* neget, *quàm* circumscribat seu determinet causalitatem illius, tanquam peculiare causæ materialis attributum. *Materiam verò tantum recipere non est* simpliciter, *sed* secundùm quid *intelligendum scil.* juxta exclusionem causalitatis formalis & effectionis, *quas præter receptionem, nondum exercet, dum causa existit; non tamen* exclusâ causalitate propriâ *de qua modo diximus quod det esse materiato, & licet non* totale: *hoc enim junctim cum forma largitur, tamen* partiale seu materiale, *secundum quod corpus materiatum, patibile, &c. dicitur.*

Activitatem deinde quamvis non exerceat, formalem seu efficientis: *eo ipso enim solummodò infertur; quôd materia nondum*

dum forma seu causa efficiens sit(non tamen obstante, quòd alius, cujusdam causæ nomine venire queat) eam nihilominus, quàm naturalem resultantiam *nuncupant, elicit, præter actum entitativũ, quem ex prima Philosophia Physicæ affert: probatur illa ex recepta Philosophorum sententiâ, quâ nihil tàm pati, quin quodammodo reagat verè asserunt. Et positô, illam resultantiam, quâ materia obnititur formæ, non esse* actionem propriè ita dictam, *nempe* quæ sit ê genere actionis categoricæ: *erit* activitas aliqualis (modus)*qua non tantùm recipere, sed etiam obniti existimetur.*

Prior debinc est materiatô non quidem tempore: *attamen* naturâ *quæ prioritas sufficit ad rationem causæ.* Terminus *denique productionis* nequaquam *est, sed* termini: *nam omnis productio Physica fit in genere substantiarum, naturaliter producendarum, per modum compositionis, & probandum est,* materiam seorsim productam esse, *ut adæquatus productionis terminus dici queat, quod fieri haud poterit. Item positô materiam seorsim fuisse productam:* hoc ipsum tamen non agnoscit Physica: *quia entitas materiæ, utrùm seorsim producta sit, in Physicis supponitur, & materia sub ratione causæ naturalis inibi attenditur: causam autem*

alicubi esse, & eo ipso ibidem productum esse, quid dictu inconvenientius? De similibus idem est judicium.

Dubium 3. An ratio causalis materiæ Physicæ collocanda sit in τῷ recipere formam, juxta quem modum potentia passiva dicitur; an in τῷ dare esse materiato, quô tamen non videtur à forma distingui posse; quoniam & hæc esse dat corpori, an verò in constituere compositum seu totam corporis naturalis substantiam, quod itidem formæ commune est, ponenda sit?

R. Ratio materiæ non sanè in receptione formæ *collocari potest, quia hanc juxta nullũ influxum ad esse causati præbet, sed consideratur ratione formæ, quæ consideratio eidem accidentalis est, eò quòd forma non sit de essentia ac ratione causali ejusdem; hinc etiam non tàm* causa, *quàm* subjectum *dici meretur: subjectum autem non est statim illius cui subjicitur causa, nec hoc ipsô alterius. Ubi observa, quòd recipere quidem sit* modus essentiæ materialis proprius, *utpote qui immediatè ex ejusdem essentia resultat, non verô* causalis ratio *propter causam modô ullatam.*

Alter-

Alterum verô, nempe τὸ dare esse mate-iato absolvit rationem materiæ causalem, u materia per dare esse materiato causa ıaterialis est, non quidem esse *ἁπλῶς, uod conceptui causæ internæ generaliori nvenit: de hac scilicet affirmari potest uod det esse adæquatè: attamen* esse ma-riale: *quia concedit materiato esse pro-ium, & ita in corporis essentiam se ipsam mmunicando influit, ac proinde hoc pactô usa est & quidem à forma itidem distincta, æ non materiale, sed formale esse corpori peditat.*

Corpus denique constituere, ut nihil hu-essentiæ desit, convenit materiæ sub ratio-partis essentialis *ita enim pars declara-, scilic. quòd constituat totum inq; quam m resolvitur. Hinc tertium respectum les, juxta quem materia diverso, utpote nponendi seu constituendi corpus natura-ttributô gaudet. Sciendum autem ma-am iterum* non absolutê *constituere cor-, quod attributum causæ internæ in con-u generaliori adæquatè convenit, quem-odum τὸ esse dare; verùm* materiali-*: quæ determinatio uti essentiæ, ac ratio-ausali, sic etiam hac vice partiali aquè munis est.*

Dubium 4. An materia ſubſtantia & quidem, ut dicunt, incompleta, ſit, poſitô, uti certum eſt, ipſam indeterminatam & indifferentem eſſe, nedum quod defectum propriæ ſubſiſtentiæ, per quem incompleta exiſtit, importet?

Reſp. Subſtantia eſt non per modum ſubſiſtentiæ ſpecialem, quô eſſentia ſubſtantialis extra compoſitionem eſſentialem tanquam ultimò per ſe exiſtēdi complementò conſiſtit: *ingreditur enim eſſentiam corporis naturalis, uti ſupra diſſeruimus.*

Veruntamen per ſubſiſtentiam generalem, quæ ſeſe uti ad omne ens, per modum inhæſionis nondum exiſtentis, *ita ad materiam, quæ ibidem nondum per inhærendi rationem eſt quicquid eſt,* extendit: *aliàs enim non poſſet eſſe ſubſtantiale, quò materiatum gaudet, conferre. Indeterminata autem dicitur non* per defectum ſeu carentiam ſubſiſtentiæ generalis, *propter cauſam adductam, ſed* formæ determinantis ipſam formaliter, *& quidem non* quatenus actu materialis cauſa eſt: *nam prout cauſa exiſtit actu talis, exiſtit etiam cauſatum ſeu materiatum; poſitô autem materiato, quid certius erit, quam materiam per*

formam

er formam determinatam esse? *Verùm* pro-
ıt materialiter & juxta præcisum esse sub-
:antiale spectatur; *tunc enim facilè patet,*
'eterminationem formæ ejusdem conceptum,
ſsentialem scil. seu substantialem, nondum
ıgredi, præsertim, quia determinatio ista à
rincipio, à materia genere diverso, proficisci-
ır. *His declaratis constat præterea, ma-*
'riam substantiam incompletam dici, non-
ım respectu subsistentiæ generalis, *quasi*
'hac destituta sit; sed specialis, *uti supra sa-*
s indigitatum fuit.

Dubium 5. Quomodo posſit po-
ntia & quidem pura vocari, cùm ta-
en præsuppositâ essentiâ actuali, a-
us etiam alios & quidem formales
cludat, quod ita ostenditur: Omnis
odus seu forma denominans respe-
u denominati est actus, quia deno-
inatum perficit, quod de ratione
tus est: at modus subsistentiæ, cau-
itatis materialis, partialitatis &c.
i materiæ revera conveniunt, sunt
ɔdi, seu formæ denominãtes, quod
num: Ergo sunt actus resp. mate-
: & quidem essentiales: quia ex sim-
ci essentia materiæ fluunt, quod

 nemo

nemo negat, Ergò materia includit actus, & consequenter potentia nequit appellari, multò minus pura.

Resp. Potentia dicitur materia hujus loci, non in sensu abstractivo, *quod primò observandum: hæc enim est modus, materiâ substantiâ, sed* in concretivo, *quod scil. sit causa corporis naturalis quæ potentiâ certâ prædita est. Hinc tria circa vocem potentiæ occurrunt:* potentia *modus:* causa materialis, *quæ denominatur per potentiam; & potentia, quæ utramque notionem tanquam denominativum involvit. Vides ergò, quòd concretivè potentia sit, id est, causa, quæ accuratè loquendo per modum potentiæ potens potius, quàm potentia dicatur. Hoc, quia planum, modò missum facimus, atque declaramus, quô respectu potens seu potentia sit & vocetur, scil. non* respectu modorum, in dubio recensorum, quasi illos nondum vendicet, *ita enim nondum esset causa materialis; sed ens saltem modis istis perfectibile, quale tamen hic potius præsupponimus, quàm attendimus. At verò* respectu formæ corporis substantialis juxta quem potens recipere & pati dicitur, *sed itidem non prout* est actu causa; *sic enim actu recipit & patitur, qui actus in locum potentiæ*

tentiæ succedit, *sed* quatenus consideratur, quòd causa materialis esse nata sit. *Item potentiam eamq́; puram tunc notat:* quia nihil formæ substantialis ipsius essentiæ, & quidem hoc locô causalis materialis, est immersum seu immistum, *si enim contrarium statueris*: *Concedendum erit, ipsam non esse causam puram (quicquid enim commistum est cum alio diversæ essentiæ; illud puræ essentiæ nequaquam est) esse partim materiam, partim formam, quod nihil esset, ac dixisse materiam esse partim materiā, partim nō esse materiam: item, materiā esse secundū materiam: quia in se simpliciorem resolubilis esset, immistô separatô; item materiam esse materiatum seu corpus : quia constaret formâ ; & quamvis existimetur formam immistam non habere rationem causalem formæ, sed nudi duntaxat entis, donec actibus formalibus , & motu efficientis emergat : Regerimus , quomodo ipsum , quod putatur entitas formæ esse, materiæ immersa, nondum ipsum sit, quod materia per essentiam est, quod si scil. rationem causalē entitati illi nondum convenire statuatur, quâ tamen & nulla alia, ab entitate materiæ ipsiusq́; ratione causali concipi potest distincta, dicis per potentiam activam seu quâ nata est forma actu secundo esse?* Resp. *ab actu primo ad actu secundum in Physicis valet consequentia, positis ad actum*

actum secundum requisitis & impedimentis remotis, eò quòd naturalis res non possit operationem suspendere, ut extra dubium est. Posità verò materiâ, & attributis huius propriis ponuntur requisita quæ ad actum secundum formæ eliciendum requiruntur: nec adsunt impedimenta: quia usque adeò existunt unitæ ut nullum accidens interveniat quod alterutrius influxum causalem, seu actum secunudm causandi præpedire queat. Ergò posito actu primô vi necessitatis causandi infertur actus causalitatis secundus. Si ergò statuitur entitas formæ, abs actu formali secundo, asseritur formam contingenter informare, quia quoad esse daretur nondum informans; per quorum illud non esset causa Physica necessaria, per hoc non esset forma, atq; sic statueretur: forma interdum, seu pro certo statu non est forma, cum tamen τὸ non esse formam, non de forma, sed disjunctivè saltem de conceptu formæ generaliori tanquam prædicatum peculiare dici possit verbi gratia Causa interna vel est forma, vel nondum est forma: potest n. materia esse, non v. ita: forma vel est forma, vel non est forma! forma, tunc demum, quando actu informat; non est forma, quando absolutè in materia existit. Sed hæc, exabundanti ad explicationem dubii facientia, attulerimus, plura alibi de hac re proponi possunt.

Dubi-

Dubium 6. Utrum materia appetat formas, non obstante, quòd formam habeat, dum actu causa materialis est?

Resp. Non quidem appetitu desiderii, quò scil. quid fertur in bonum, quô destituitur, eadem verò frui expetit, *nisi materiam consideraveris non prout actu causa est; sed quatenus potest talis esse, quæ consideratio materialis & indirecta esset. Veruntamen* appetitu ut vocant complacentiæ, quô nempe formæ, quâ determinatur & ad essentiam corporis restringitur, fruitione delectatur, inq; illa sibi quasi complacet, quantisper eandem retinet: *siquidem forma largitur materiæ modum perfectivum, quô ex essentia sua nondum prædita est: hinc ergò fieri nequit, quin eandem, tanquam bonum quoddam suæ naturæ conveniens, desideret. Sciendum autem Materiam amplexari adæquate* formam ut explicatum est, *non* formas in plurali, *quod scil. de materiis solummodò affirmari potest* in sensu collectivo *propter diversos appetitus per quos, cum aliis attributis materiæ determinatis diversæ existunt, ita tamen, ut* quælibet in specie itidem non nisi suam, expetat, *quod hac evidentiâ ostendimus: quam actu non possidet*

eam

eam appetitu complacētiæ, superiùs descripto, nondum appetit, quòd planum ex antecedentibus: atqui alias non poßidet actu, posito, scil. quòd formam qua cum certum compositum constituit possideat, aliàs unam actu plures formas habere contra veritatem Physicorum asserendum erit. Ergô alias appetitu isto nondum appetit. Et quamvis regeras: Attamen non obstat, quò minus appetitu desiderii alias affectet; præterea ita argumentamur: quo appetitu materia in specie, talis in specie esse desinit, eô naturaliter non appetit; quòd luce clarius; aliàs appeteret sui destructivum naturaliter, quòd falsum: at verò appetitu desiderii, qui dirigitur ad alias formas, nondum habitas seu possessas, materia in specie, talis esse desinit: quia incipit eodem materia seu potius materia formarum aliarum esse non citra remissionem appetitus in formam complacentiæ, qui tamen ipsius, quà talis formæ materia est, attributum proprium est: Videmus hoc in omni appetendi genere, dum verè depræhenditur, quàm valdè remittatur præsentis complacentia; ubi incipit & intenditur absentis desiderium, & sanè ubi summum hujus desiderium, ibi minimum vel planè nihil delectaminis in præsens, quin parum absit, ut ne hoc ipsum nauseâ repudiemus tanto majori, quātò impensius aliò vice hujus frui havemus.

Ergò

Ergò suam tantùm formam materia quælibet per se *expetit & saltem* per accidēs *privationis ad aliam atq; aliam formam appetitum fovet, quo etiam alia atq; alia fieri inchoat. Interim quod hujus loci erat, relinquitur, materiam formam, non formas delectamine naturali prosequi.*

Dubium 7. Utrum materia sortiatur communem modum seu rationem considerandi, ut nempe spectari possit cum aliis cōceptibus Physicis, quatenus naturalis seu naturale quoddam est: obstare n. videtur, quòd non per denominationem naturalis, verùm per synonimicam prædicationem natura in abstracto sit?

Resp. Materia naturalis est denominatione extrinseca: *dum scil. à natura naturante proficiscitur, quo sensu juxta esse comproductū (non tamen ut sic) originaliter naturalis, dici debet. Deinde constitutivè: quia naturam corporis constituit, seq; internam causam naturali corpori largitur; juxta quē respectum prædicatione* per se *naturalis est, quia in eo causalis ratio ipsius collocatur, ut supra dictū. Negatur a.* materiam per prædicationē synonymicam in casu recto seu in abstracto *naturam ipsam dici: est n. causa, inadæquatè ad consti-*

constituendam naturam;utpote quæ supponit, pro materiâ & forma, concurrit: Verum per synonymicam in concreto: est n. naturale esse ratio considerandi cõceptus physicos formalis, quæ per modum differentiarum in concreto prædicatur. Item natura non in recto, sed in obliquo de ea dicitur scil. materia est naturæ: quia ingreditur naturam.

Dubium 8. Utrum materia habeat in Physicis oppositum, quod ei directè obviet: contrarium n. quò minus scil. hoc de eadem affirmetur est, in Physicis non dari, quòd materiam neget, vel excludat?

R. Substantia Physicæ considerationis informis materiæ repugnanter opponitur quamvis n. entitatẽ habeat substantialẽ: *destituta tamẽ* est actuali causalitate, quia materia est materia; *hocq; ideò, quia formâ caret, cujus actum recipiat, atq; sese materiato causaliter cõmunicet. Atq; sic opponitur materiæ* ut causæ *licet non* juxta entitatem absolutã, *quam ratio causandi materialis includit seu supponit. Sciendum verò, quòd ejusmodi substantia in Physicis, non* existat seorsim scil. à forma cujuscũq; generis denudata: *sed saltem* pro modo concipiendi(*quod si daretur*)*substantiæ materiali, quæ Physica causa est, tanquam oppositum assignatur, non secus, ac Physici vacuum loco opponũt, cùm tamen illud in natura nondum detur; de quo infra etiam acturi sumus. Vide supra quæ de opposito corporis diximus.*

DUBIA
De
FORMA.

DUbium I. An forma corporis naturalis detur, non frustrà dubitatur: quamvis enim in omni causarum genere ad primum quoddam deveniendum esse communis Philosophorum vox sit; hæc tamen exceptionem causarum formalium videtur pati, utpote quarum primum non datur: illud enim esset genericus earum (specificarum) conceptus, quod fieri nequit, quoniam, si contraheretur per formas, formæ forma esset, & quidem cùm genericæ illius: quia per formas contraheretur, uti dictum, tùm specificarum, quia per formam genericam, adventu contrahentis, constituerentur, quod implicat?

Resp. Formas substantiales, & quidem in parte speciali attendendas, dari evidenter

infertur, quia scil. deprehendimus aliquando essentias Specierum, seu potius individuorum auferri v. g. essentiam Physicam hujus vel illius equi, canis, immò hominis &c. & quidem materiâ (quamvis non sub ratione, quâ illius essentiæ formalis materia est) remanente, id quod fieri nunquam posset, nisi essentia quædam partialis & pro hac consideratione formalis, à qua actus, quibus anteà existebat species, præter causam materialem eidem competeret. Hinc ergò concludimus, non secus, atque de materia factum, formam in communi dari. *Item formatum datur: ergò forma statuenda erit, præterea materia, ex antecedentibus liquit in causalitate actuali declarata: quomodo itaq; formâ carebit?*

Etsi autem hæc notio (generalis) formæ contrahatur per rationes formarum specificarum: relinquitur tamen tantò certius, quòd illa detur in communi: consideratur enim dupliciter: ratione causalitatis formalis: & ratione universalitatis seu prout est conceptus communis, *priori modò à contrahente forma præscindit, posteriori autem in specificis formis multiplicabilis est atq; tunc* non sustinet rationem formæ, *sed* conceptus generici, *quemadmodum in Logicis differentia subsese differentias specificas & individua-*

dividuales comprehendit, non quà talis, seu prout juncta generi speciem constituit, *sed* prout rationem conceptus generici vel ratione individuorum specifici induit. *Atque ita cernitur quomodo forma sit forma scil.* quoad communem seu genericam ipsius naturam, *qua ratione tamen nondum forma est.*

Sic quod attinet ad formas speciales, non physicâ constitutione, quâ corpus ex materia & formâ coalescit, *ut supra ostensum fuit, per genericam & contrahentem hanc sunt: aliàs essent corpora quod falsum, sed* Metapyhsica seu, *alio cōsiderandi modo*, Logicâ *specificæ sunt, quarum illa ex esse, & essentia (speciali) est; hæc ex genere & differentia fieri dicitur.*

Licet ergò forma illa postmodum contracta & contrahens formam specificam arguant, contracta tamen itidem non rationem formæ, *sed* materiæ Metaphysicæ, seu Logicæ *sustinebit, id, quod in parte speciali ubivis observandum est. Sufficit hac vice communem formæ conceptum dari, qui corpus adæquatè per modum actus formalis constituit, & consequenter ad partem Physicæ generalem pertinere, adeoq; hoc observato, minus de hac vel illa forma in specie, ejusdemq; attributis*

ac conditionibus specialibus in parte communi negotium seu tractationem suscipi debere, ne peccetur in processu considerandi, non secus, ac si quis v. g. causam, in judicio magistratus inferioris decidendam, vi quadam trahat ad forum superioris, eandem ob exorbitantiam bujusce reprehensionem causæq; repudium nondum subterfugiens.

Dubium 2. An forma causa hujus loci interna sit per influxum, quô se ipsam corpori largitur; utrum verò ratione actus quem elicit, materiam dum actuat & disponit, quorum posterius videntur velle Physici, quando formam per actum definiunt?

Resp. Sicut tota formæ essentia & causalis ratio ex materiæ doctrina innotescit: ita, quod ad præsens dubium attinet, ex ratione materiæ liquet, quænam sit ex oppositô ratio formæ, quia scil. ratio materiæ non collocatur in τῷ recipere formam ita ex opposito ratio formæ nondum ponenda est, in τῷ actuare materiam, *quanquam id peculiare attributum sit, quô forma à materia distinguitur. Verùm potius* in dando corpori naturali essentiam formalem *juxta illud tritum: forma dat esse rei, subintellige formale: propter rationem consimilem illi, quâ supra causa-*

causalitatem materiæ demonstravimus. Hinc quando forma per actum definitur, genus (quod est actus) exprimit modum formæ me. physicum, quò denominatur essentia aliam actuans, *atque hoc ipso actu & respectu illius entis (quod actuat) forma accidentalis potius, quàm essentialis dicenda venit, quia idipsum dum actuat, extra essentiam illius est. Sin autem per actum intelligatur* τὸ dare esse formale composito physico, *qualiter ipsam philosophus* λόγον τῆς ἑκάστου οὐσίας *vocat, per actum formaliter, seu tanquam per rationem causalem benè definitur.*

Dubium 3. Quoniam ratio formæ causalis collocatur in eo, quòd det esse corpori formale, nec satis explicatur quidnam sit esse formaliter dare dubium est, utrum hoc ipsum causalem formæ rationem exprimat, & an non potius hæc in eo consistat, quòd determinet & actuet materiam, quod esset contra præcedentia?

Resp. Explicatum est superius, esse dare idq; formaliter causalem formæ rationem dicere, quidque tandem illud sit unô verbô indigitamus, nempe id nihil aliud est, quàm in-

formare, *id est*, causam internam esse, ut res, (corpus naturale) sit hæc & non alia: *hinc postmodum forma principium distinctionis dicitur, quemadmodum materia convenientiæ. Cur autem non collocanda sit ratio formæ in determinatione materiæ præcedentibus significatum est: Sicut enim se habet τὸ recipere ad materiam; ita actuare & determinare materiam se habet ad formam: at illud non erat ratio materiæ; Ergò nec hoc formæ, id quod ex antecedenti doctrina partim materiæ, partim formæ satis indigitatum est.*

Dubium 4. Utrum forma naturalis sit causa substantialis (sicut erat materia), an verô è genere accidentium: cõtingit enim fluctuare quem ideò, quia tàm tutò asseri potèst id, quod Physicis substantialis forma dicitur, nihil præter accidens esse, cùm tale esse quô scil. accidens sit, vel per mutationem sensibilem cõstet; idem verò esse substantiam, nullum vestigium detur?

Resp. Semel indigitatum est consimili demonstrandi viâ formam innotescree, ac veluti ex antecedentibus constitit corpus, constans mate-

materia & forma, & porrò materiam, quæ quæ substantia est, dari. Quod si scil. Formatum scimus, formam prænovimus tanquam hujus causam. Nec certè constans sententia esse potest, quâ id, quod in corpore formalem actum redolet, tantummodò accidens seu forma accidentalis esse existimetur: nam illud accidens aut esset materiale, seu flueret ex materia; aut aliunde corpori conveniret: at materiale nequit dici, quia vim activam exercet, dum materia nonnisi passivam. Ergò aliunde inexistit: si verò hoc: aut substantiæ à forma distinctæ, tanquam radici inerit, aut accidens in corpore sine propria substantia seu subjecto affirmabis, quod utrinq; falsum.

Dubium 5. An forma eodem modô, nempe substādi, quô materia, substantia sit; non obstante, formam tunc rationem materiæ seu subjecti sortiri, adeoq; informari?

Resp. Non est dubium, quin una eademque res pro diverso respectu aliam atq; aliam denominationem accipiat; *quare* formam, subjectum vocari respectu eorum, quæ sustinet, accedentium inconveniens minimè erit, *utut forma sit*, si spectetur sub ratione causalitatis, quâ formato essentiam formalem largitur, *quod præcipuè hujus loci*

est. Interim accuratè loquendo asserendum est, cum Petro Fonseca formam non tàm à substando *substantiam dici: hoc enim potius materiæ convenit, quæ accidentibus magis subjecta est, ac forma; quàm* à sustinendo*: quia esse accidentium magis sustinet, quàm materia, quòd ipsi competit per essentiam & rationem causalem quibus substantialis & formalis actus est, materiâ potentiâ.*

Dubium 6. Utrum forma corporis naturalis causa formalis sit, quàm primum materia est materialis; & rursum, unâ desinente, altera desinat; An porrò, de utraq; materialiter loquendo, illa res sit quàm primum talis quædam hæc est, & contra, hujus essentiâ sublatâ, tollatur illius; an verò è converso materiâ (si quà causa est, spectetur) aliquantisper præexistente, forma demum compositionem ingrediatur, tanquam altera corporis Physici causa: item an, illâ remanente, hæc transeat; vel sin hoc nondum affirmari debeat, an materia ad minimum quoad esse simplex (nisi, quâ causa) sit,

sit,formâ vel prorsum non existente, vel saltem quoad actum entitativum, uti vocant, in materia, aut nisi hoc, extra hanc alicubi extante: nam periculum erroris utrinque metuendum, dum contigerit, eum, qui utramq; per omnia simul esse statuerit, impingere contra naturam actus (qualis forma est) potentiâ suâ prioris; item mutationem physicam, quæ à non esse formæ ad ejusdem esse, in materia subjacente fieri deprehenditur, tollere, illum autem, qui materiam priorem formâ dixerit & quidem prioritate causalitatis; pariter errorem modò indigitatum & simul contradictionem incurrere, statuendo nempe materiam formam actu causali recipere, & Materiato τὸ esse largiri: quia secundũ sententiam ipsius causa est; & contra materiam eandem (formam) actu causali non recipere materiatoq; esse dare: quia itidem juxta ipsius sententiam hæc (materia) talis est, dum for-

ma nondum est: quomodo enim formã actu recipiet, quæ nondum est & quomodo Materiato essentiam materialem largietur, quod itidem non existit? Eum deinde, qui materiam saltem ratione essentiæ, formâ in ipsius gremio simul latitante, absque causalitate affirmaverit, introducere ejusmodi substantiam completam quæ neq; corpus, neque spiritus erit: completam: quia ex duabus entitatibus substantialibus, nempe materiæ & formæ essentiis, conflata, perfectum ὑφιστάμενον erit. Non illud (corpus) quia tale è materia & formâ (actu causis seu principiis internis) constat, ut supra vidimus de corpore; hæc verò saltem ex entitatibus harum. Neque hic (spiritus) quia non ex substantia & substantia, sed ex esse & essentia, ceu è Pneumaticis patet, constat; multo minùs ex substantia & substantia physicis, quales quædam essentia materiæ ac formæ sunt: ipsos deniq;, qui essen-

essentiam alterutrius absque alterius unquam uspiam seorsim existere autumant, substantiam asserere, vel nondum subsistentem; vel supernaturali subsistentiâ subsistentem?

Resp. Ex dubio 5. de materia, quid de forma, quod spectat dubitationem præsentem, sentiendum sit, aliquô modô innotuit. Addimus pro ulteriori declaratione sequentia: Causa formalis est quam primùm materialis est, & unâ desinente alterâ desinit (spectabis autem utramq; ut actu causam) non quidem juxta primitatem perfectionis: *materia enim causando perficitur; forma autem perficit, ac proinde illa perfectionem communicatam, seu à forma concessam, possidet: forma verò perfectione ex se gaudet, uti ratio de prioritate actus adducta obtinuit: sed tamen* juxta primitatem causalitatum *quàm prima est una, tàm prima altera est: & quidem dupliciter, : prout comparantur* tanquam concausæ ad se invicem, *& quà cum* causato, *quod est corpus naturale, conferuntur: nam ratio dubii ab absurdo contradictionis desumpta utrobique procedit: quicquid n. ad corpus concurrit concomitantiâ causandi cum alio, id eo ipso cum eodem simul est: at ita se ha-*

se habent materia respectu formæ & rursum formæ respectu materiæ, quod planum. Ergò citra contradictionem una alterò, quoad causalitatem prior nondum dici potest. Item quia aliud est esse dare, *& aliud* esse non sine subjecto dare, *illudque non tantùm, sed & hoc de forma dicitur, contradictio erit, asserere formam non sine subjecto corpori essentiam largiri, & formam (causam per talem essentiæ communicationem) esse sine materia; ac vicissim: materiam essentiam materialem non sine forma dare; & materiam (quæ non nisi per dare illud materialis causa est, causaliter existere, formâ desinente.*

Porrò longè certissimum est essentias materiæ & formæ, quamvis mente, à causalitatibus præscindi posſint, *nunquam* extra mentem existere, causalibus earum rationibus, nondum coexistentibus, sed quæ aliquando demum exercenda veniant. *Licet enim dicatur: essentia materiæ atque formæ erit substantia composita, utut nec corporea, nec incorporea, sed quam metaphysicam vocaris: Regero: ita negabitur ratio substantiæ divisiva, quâ tamen necessariò vel corporea vel incorporea est.*

Ita

Ita etiam asseretur positô genere, nullam speciem poni nedum substantiam individualem, quòd falsum. Ita prætereà statuetur, utramque essentiam contingenter causare, quia nullô impedimento præsente, nec ullô requisitô absente, ex se habeant unde quandoque actu non caussent.

Petimus denique probationem Sententiæ illius, quâ putetur, unam absque altera seorsim, vel subsistentiâ hyperphysicâ, vel subsistentiâ speciali, prorsum non subsistente, existere: Quamvis enim inductione animæ rationalis videatur concludi posse, quod quædam entitas formæ absque materia seorsim existat & subsistat subsistentiâ hyperphysicâ: dixerim tamen, dubium sanè magnum & à paucis hactenus eô, quô debebat modô, declaratum esse, num entitas, seu essentia illa spiritualis, positô & partim in Pneumaticis, partim in Theologia concessô, quôd post mortem hominis existat seorsim & subsistentiâ supernaturali subsistat, nullâ, præter essentiam formæ, quâ homo animal physicum est, existimari debeat. Quid si obtineatur, hominem entium horizontem esse sortiendo naturam animalem atque spiritualem; animalem porrò constare corpore organicô, tanquã materia & animâ

animâ ſpeciatim ſenſitiva eorumq; utriq; adjungi ſpiritum immortalem, qui non p. ſic, ſed Pneumaticè cùm illud mediatè, tùm hanc proximè informat, vice materiæ fungent m. Ergò ſpiritum morientis ſeorſim exiſtere & ſubſiſtere Pneumaticum forſan probare, vel potius Theologum demonſtrare, Phyſicum verò, ſenſitivam illam animam abſque ſuo corpore ſeorſim exiſtere atque ſubſiſtere, ratione vix ſtatuminare poſſe? Plura alibi. Interim reſtat dicendum, mutationem ſeu generationem phyſicam proinde non tolli: nam, cùm gen ratio & corruptio duntaxat individuorum ſit: eæ de ſpeciebus rerum naturalium, atque in parte generali phyſicæ de corpore naturali in genere licet negentur, uti negari debent; ſiquidem non generantur; *ſed primitus ſaltem* producuntur *finaliter deſtructibilia non niſi ab auctore naturæ: ſufficit individua à non eſſe eſſe & ab hoc illud per generationem & corruptionem ſubrie.*

Dubium 7. An forma actus dici poſsit: cùm tamen hic ſit è genere modorũ, ceu è Metaphyſicis conſtat, formâ ſubſtantiâ; & poſitô per actum intelligi ſubſtantiam agentem, forma à cauſa efficiente non erit diverſa, quia

&

& hæc in agendo consistit, sin autem hæ rationes valeant, potentia materiæ passiva à forma non poterit determinari, utpote quæ à solo actu limitari dicitur?

Resp. Quemadmodum materia potentia erat in sensu denominativo, non abstracto: ita forma actus est, & quidem uti vocant, formalis seu causalis internus non abstractè, *quasi præter nudum modum seu entis physici passionem nihil sit; sicuti verum est ipsam (formam) substantiam esse, sed* per denominationem actus, *quia actuat & determinat materiam, vocatur. Item qui postmodum est, quô corpus natum est actus naturales elicere. Resolvitur ergò terminus actus; dum de forma dicitur in duos conceptus, substantiam quæ actuat & modum denominantem, quô actuat, qualis nullus alius est, quàm ratio causandi formalis, consistens in dando essentiam corpori suo. Quà verò materiam actuat & determinat, exercet munus rationi illi cõsentaneum, quemadmodum recipere peculiaris materiæ modus erat.*

Quod autem causam efficientem concernit, illa non ab actuando & actus; *sed* ab agendo seu actione agens dicitur, *& quamvis*

vis ipsa quoque ad materiæ dispositionem concurrat hoc tamen præstat tanquam causa externa, *non v. ut* interna, *qualis quædam forma naturalis est.*

Dubium 8. Quia observare licet, compositum Physicum hoc, vel illud progressu temporis atque motus magis magisq; perfici, dum materia ipsius plus elaboratur, asserendum videtur, formam materiæ initiò actum debiliorem imprimere, qui postea intendatur, quô concessô, consequens erit, formam, si non quoad esse absolutum, tamen quoad vim quam exercet causalem, intendi ac remitti, cùm nihilominus è genere substantiarum sit, quæ hujus proprietatis capax non est, quia solis qualitatibus convenit?

Resp. Aliud sanè est constituere, & quidem rem formaliter; *& aliud* constitutam ulterius perficere. *Forma substantialis corpus constituit quàm primùm ejusdem formalis causa est, nec pergit ipsum perfectius constituere, quàm sicut id primô productionis momentô à se formaliter constitutum*

tutum est: aliàs productio, seu constitutio corporis non esset instantanea, sed progressu durationis eidem quid accederet, quod prius nondum fuit, quod falsum, vel dubium, eò, quòd nulla ratio adduci valet, quâ demonstretur, quid impediat seu obstet, quò minus primò productionis tempore non tàm productum, seu constitutum esse queat, quàm est postea, ubi aliquandiu in natura extitit. Adde & illud, quòd forma materiam nullô accidente interveniente, attingat, quô positô, forma causalitatem suam absolvere & perfectam speciem constituere, quàm primùm nempe talis quædam actu est, minimè deficit, imposterum compositum perfectius constitutura.

Quod autem attinet ulteriorem perfectionem seu elaborationem materiæ, illa accidentalis est*: contingit enim propter intensionum qualitatum & extensionem quantitatis, quarum illæ gradus; hæc (quantitas) partes extra partes, seu majus & minus admittunt.*

Ratio præterea causalis formæ, quæ est corpori esse formale largiri *itidem ex se neq; intensionis vel remissionis, neq; extensionis proprietatem sibi vendicat, aliàs vel qualitas, vel quantitas esset, quod falsum: est enim modus seu ratio ab his accidentibus genere diversa, quod planum, quia aliàs forma talis per acci-*

dens, verbi gratiâ, qualitatis seu quantitatis esset.

Quamvis, si loquamur de esse accidentali, *partim intensio, prout scil. qualitates indies magis in subjecto corporis radicantur, partim extensio, ratione quantitatis, uti supra dictum, locum habeat: utpote quod facit rationem formæ per accidens tantummodo intensibilem & extensibilem esse, non secus, ac sicut hæ proprietates actioni seu rationi causali efficientis conveniunt, scilicet non quatenus talis est, sed ratione qualitatis ac quantitatis, ad quas tendit, tanquam ad terminos.*

Dubium 9. Utrum forma corpori discrimen specificum, quô à spiritu diversum est, largiatur, juxta communem sententiam, quâ statuitur formam principium distinctionis esse; materiam autem principium convenientiæ, ut ita non per materiam, sed saltem per formam substantiæ species fit: hoc enim si asseritur, concedendum erit spiritum, quoad materiam cum corpore convenire, quod falsum?

Resp. Forma non aliter diversitatem corpori largitur, ac velut eidem esse dat, quia scil.

scil. hoc ipsum partialiter duntaxat dat, uti ex antecedentibus innotuit: utiq; facilè concluditur, eandem discrimen, quô corpus à spiritu distinguitur tanquam disparata species, non totaliter; *sed* ex parte *largiri, materiâ ad idem simul concurrente, hinc dicimus differentiam corporis esse τὸ naturale esse seu constare ex materia & forma, ubi forma* differentiæ quidem syncategorema, *non verô* differentia ipsa est, *nisi velis asserere, ipsam differentiam non quidem* adæquatam, *attamen* inadæquatam *esse; aliàs certè non viderem quid obstaret, quò minus juxta rationem, in dubio adductam, spiritui materia assignetur: si enim per solam formam corpus à spiritu diversum sit, ergò utriq; materia communis erit, quod planum. Quando autem dicitur formam principium distinctionis esse, materiamq; convenientiæ, hoc non ita accipiendum est* quasi per solam formam *corpus à spiritu diversum sit, sed quod* forma sit principium distinctionis materiæ, *quippe quam determinat & specificat item*, quòd principium distinctionis corporis partiale sit.

Dubium 10. Vtrum forma divisibilis sit: affirmativa enim erit contra communem philosophorum regu-

lam, quà ipſam in indiviſibili collocant, ; negativa verò contra experientiam, dum ſenſu deprehendimus corpore hoc vel illo diviſô, formam in diviſis diviſam exiſtere, ſic, ſi lumbricum diſſecueris: utraq; pars ad tempus vivet, quod fieri impoſſibile eſſet, niſi pars formæ in utraq; diſſectarum ſuper eſſet?

Reſp. Quia diviſibilitas modus quantitatis proprius eſt, fieri nequit, eandem formæ competere, quippe quæ à quantitate genere diſtinguitur. Hinc meritò ſtatuunt Philoſophi formam conſiſtere in indiviſibili, quia ſcilicet ex ſe extenſa non eſt, quod ex dub. præcedenti vidimus. Ratio dubii oppoſita hoc ſaltem infert, quòd nempe in partibus lumbrici, verbi gratiâ, quæ ſecernuntur, diviſim deſinat, *non quòd diviſim* talis eſſe pergat. *Clarius: poſitâ materiâ in cauſali ratione, ponitur forma, & alterutrâ deſtructâ, altera deſtruitur: jam verò diviſa materiâ corporis, quod totalitate integrantium totum fuit, eſſentia illius (materiæ) determinata adeoq; cauſalis ratio, quam in corpore illo exercebat, etiam deſtruitur: quia diviſio eſt cauſa deſtructionis; ergò tunc quo-*

que

quæ forma destruitur, sed non quasi ipsa etiam dividatur *sed* quia divisæ materiæ inesse deficit. *Hinc divisio erit causa formæ destructiva, non quasi hæc propriè & per se divisa sit, sed quia divisio illa subjectum, quod informabat ineptum reddit, unde eandem quoque talem desinere necesse est. Summatim loquendo, divisio illa est divisio* totius integrantis; *non est divisio* partis (formæ) essentialis actuantis, nisi per accidens. *Deinde, quod observandum erat, forma hujus loci ea, quæ, verbi gratiâ, lumbrici erat, minimè est, sed quæ generaliter & adæquate cum materiam, tùm corpus quod constituit, in genere spectata respicit, de qua simpliciter affirmandum, quod* neque dividatur, neque per se divisibilis esse possit, *idq; propter causam superius allatam: etsi interim negari non debeat,* Metaphysicam divisionem, seu distinctionem, itemq; logicam, quâ in conceptum, verbi gratiâ, specificas dispescitur, eidem competere: *contrahitur enim per modos quosdam specialiores, quos ex se & sua natura, quam vendicat, generica, nondum involvit. v. grat. corpus cœleste informare, elementare constituere &c. speciales formæ modi sunt, qui conceptum formæ generalem, utpote*

qui ab iisdem & similibus in generica physicæ parte præscindit, contrahunt.

Quod porrò divisibilitatem in gradus *spectat, quâ scilicet qualitas modò intensior, modô remissior evadit. Dicendum primò, hanc non esse* propriè divisibilitatem *seu rationem partibilem, sed* intensionis ac remissionis varietatem, *quæ cùm itidem accidenti qualitatis propriè conveniat, de substantia formæ ejusdemq́ ratione causali dici nequaquam valebit, ceu ex præcedentibus similiter indigitatum est. Sed objicis, gradus essentiæ formis accedere quibusdamq́ nonnullos denegari; uti videmus in animali, quod formam vegetandi possidet, cui gradus sentiendi superadditus est: & rursum anima vegetativa in arbore, verbi grat:, hoc gradu destituitur: ergò forma gradus admittit. Resp. Non sanè vis sensitiva superadditur animæ vegetativæ* tanquam quidam gradus formæ illius, cui competit, sed est peculiaris vis, quæ ex forma illa specifica promanat, ut modò forma animalis est, quàque ab ea diversa est, quæ tali vi destituta, *aliam* præter naturam vegetandi genericam, exercet. *Sic forma arboris, verbi gratiâ, non caret sensitivâ vi per* carentiam privativam; *sed* negativam, *quippe quæ ipsi nondum erat naturalis,*

interim

interim loco hujus vim exercet aliam, quâ non tantùm vegetativa, sed præterea vegetativa arboris est. Plura de hac materia alibi, quò scilicet propriè pertinet.

Dubium II. An privatio seu carentia formæ hujus loci oppositum sit; an verò causa physica, vel saltem principium, id quod communis Physicorum sententia est.

Resp. Quanquam privatio concipi, possit tanquam modus quispiam, qui ex parte materiæ requiritur, ut hæc ipsa formam recipiat *(nam forma non recipitur, nisi recipiens eadem destituta intelligatur,) atque ita principium; vel potius principii sit. Unde scil. materia formam recipere intelligitur: non tamen* causa physica *erit: quia nullum in fluxum præbet ad esse corporis. Sed potius oppositum causæ, nempe formalis hoc locô: quia eandem negat, & quemadmodum nihil in doctrina de corpore oppositum adæquatum fuit: ita hoc locô carentia formæ, quæ privatio vocatur, abstractivè causæ formali opponitur. Ubi iterum sciendum, privationem formæ opponi non* quasi corpus aliquando formâ careat, atque hæc ipsi locô illius inexistat: *gene-*

genera enim & species non intereunt, quod fieret, si corpus careret formâ, tale enim esse desineret, quia non amplius materiâ & formâ constaret. Sed pro ratione concipiendi, *quemadmodum superius de nihilo & vacuo locuti sumus.*

DUBIA
De
NATURA.

DUbium 1. Utrum detur naturaͅ, quæ, à substantiarum spiritualium naturâ seu essentia diversa, soli corpori conveniat: videtur enim naturam esse notionem omnibus rebꝰ communem, quia quælibet res nata est certas virium suarum operationes elicere, atque sic minus adæquatè de eadem in Physicis agetur. Deinde non repugnat, omnem illam causalitatem, quam Physici naturæ tribuunt, utpote per quam talis est, convenienter tribui posse soli externô agenti, sive Autori naturæ, quô positô, incertum erit, utrùm natura efficax insit corpori, tanquam causa quædam?

Resp. *Natura in physicis non sumitur* generaliter pro essentia, quâ quid operationes edit & propria attributa causat: *hæc enim consideratio meritò inadæquata diceretur*

tur

tur quia Physicâ latior esset pertinendo potius ad Philosophiam primam; atque ita, ut non minus corpus quàm substantia qualibet spiritualis, immò quicquid rationem entis habet, natura illius considerationis gaudeat tanquã communi. Verùm specialiter prout notat naturam compositam ex materia & forma & non quacunque ratione, sed necessitate physicam certas ac determinatas operationes Physicas elicientem; *id, quod de spiritualibus substantiis nequit affirmari, quia ex principiis essentialibus nondum conflatæ sunt, multò minus de aliis, quæ corporis immò substantiæ naturã subterfugiunt. Quod verò spectat ad alteram dubitandi causam, quâ existimarunt nonnulli, non corpus vel naturam operari, sed Deum ad præsentiam illius efficere quicquid caussatur, jamdudum explosa est; nosq; hac vice dicimus, Deum quidem causam* primam *esse unde natura in operando dependet; ita tamen, ut* peculiarem quoque vim operandi *concesserit corpori ejusve naturæ, quòd in individuis patet, quæ in naturæ moliminibus sæpe exorbitare, seu deficere deprehenduntur. Quod vitium causæ primæ non potest imputari, aliàs non esset prima, quia opus haberet se priore, à qua dirigatur: Ergò necesse est vim exorbitandi in corpore illo dari, quâ id agendi limites transgreditur.*

Item

Item Ens est radix passionum & operationum suarum: Ergò ens Physicum attributorum ac operationum physicalium radix & causa erit. Dices: duo esse in operatione exorbitante vel deficiente, operationem, tanquam materiale; & excessum seu defectum tanquam formale; illum à Deo, seu prima causa & quidem tanquam solitaria, hunc verò à corpore seu essentia corporis quem præsentia non eô modô quô præsens vel absens esse debebat, operationi convenire tanquam modum? Resp. Ergò causa erit operationis modi ad minimum & non tantùm ens quod nudè præsens in operationibus sit. Urges: At tamen non influens, sed tantùm causa sine quà non? Resp. neg. hæc solùm: quia operationem ad illum modum determinat, & quidem non formaliter, hoc enim instar formæ præstat modus ille, sed efficienter, aliàs modum determinantem subjectum, cujus talis est sine causa, illum per emanationem efficiente, statues, cùm prima causæ non possit ascribi, quæ scil. indeterminatè operatur, & licet agat etiam determinatè, non tamen exorbitando seu defectum causando; neque secundæ: quia hæc omni vi agendi careat quod absurdum. Ergò relinquitur naturam convenire corpori quà naturales operationes eliciuntur.

Dubium 2. An natura corporis naturalis sit causa efficiens & quidem interna: cùm tamen nihil præter materiam & formam adeoq; ipsum corporis essentiam importet, quod fieri non posset si causa efficiens esset, hæc enim non est ipsa rei essentia, sed similis tantùm essentiæ hujus, quam efficit: & rursum; si non sit efficiens causa, quomodo verum erit sicut ad sensum patet, corpus operari: nam ubi non est causa efficiens ibi nulla operatio datur?

Resp. Qua natura formam & materiam includit consideratur materialiter seu fundamentaliter: *atque sic, concedimus; non habet causæ efficientis rationem neque comparatione & respectu corporis: quia sic non natura, sed ipsum corpus, seu substantia corporea est, neque affectionum ac operationum, utpote à quibus præscindit, si ut sic, consideratur; vel, prout iis substat, subjectivè sese habet.* Quà verò ab ea affectiones & operationes naturales proficiscuntur, *meritò efficiens salutatur: quia per emanationem affectiones istas caussat.* Interna: *quia intra corpus id facit, inque corpore intimè residet. Corpus itaq; respicit*

ſpicit non tanquam ſui effectum, *ut hoc ipsô efficiens dicatur: propter cauſam in dubio allatam*: *ſed* ut fundamentum, ſeu eſſe, cui ratio cauſandi affectiones, & naturaliter operandi, ſuperſtruitur.

Non itaq; nudam materiam & formam importat; ſed duo: ſubſtantiam corpoream ſeu materiam & formam compoſitas; ac emanationem, quâ ab eadem proficiſcuntur affectiones atque operationes naturales, *per quam natura cauſa internè efficiens dicitur. Et quamvis obſtare videatur quòd aliàs* differentia *corporis ſit, quô modô ſcil. non poſſit efficiens eſſe: nihil tamen prohibet, quò minus* ratione affectionum & operationum *talis dicenda veniat. Et accuratè loquendo, conſtare naturâ, ſeu materiâ & formâ, nomine natura efficacibus, potius differentia corporis eſt, quàm natura prout præcisè in ordine cauſali attenditur, quem tenet, dum affectiones & operationes naturales elicit.*

Dubium 3. Vtrum natura agat ſolũmodo operatione immanente; an verò, etiam tranſeunte. Si illud affirmatur, negabitur influxus, quô tamen corpus in aliud influere certum eſt; ſin hoc: aget vel in ſpiritum; vel in nihil:

hil: non in ſpiritum: quia hic eſt im-patibilis reſpectu rerum naturalium, ceu ex Pneumaticis conſtat: hæc e-nim eſt operatio, quę ſoli cauſæ infinitæ convenit, & poſitô, eam in nihil operari, operatio illa fruſtranea eſſet: quia in eodem nihil effecti produceret: aliàs eſſet cauſa virtutis infinitæ, Ergò tranſeunte vi non operatur?

Reſp. Corpora quidem in ſpecie & individualiter conſiderata, *operationibus, præter immanentes, tranſeuntibus operantur, ſcil. in alia, v. gr. hic homo, mediante voce v. gr. in alium vim cauſalem exercet, ſic ſol mediante luce influit in inferiora: nam ideò naturæ Autor ſpecies in unam compagem ordinavit, ut ſe invicem beneficiò influxus cauſalis conſervent: neque ille naturis ipſarum ſpecificis* ex accidente *convenit, quò pactô cauſæ tranſeuntes per accidens ſeu præter intentionem operantes dicantur, ſed* per ſe & neceſſitate quadam, *quâ una rerum naturalium ſpecies mavelit quid de jure proprio amittere, quàm alteri debitum influxum denegaſſe, hoc patet ſenſu, quô videmus aquam v. gr. citius proprium locum deſerere quàm, ut patiatur aliud corpus, v. gr. aerem à ſuperficie ſua abſtrahi.*

Inter-

Interea autem non est, cur operationem transeuntem corpori vel naturæ ut sic, seu generatim spectatæ, *attribuamus, quippe quod non intelligitur cum alio ita combinatum, ut in idem necessarium influxum exerceat, nisi velis operationem naturæ genericæ transeuntem appellare, dum certam de se ideam spargit, quæ ad nostrum; vel intelligentiæ intellectum pertingit, quaque idem objectivè terminari dicitur.*

Deinde valet, quòd frustra operetur, si in nihil scilicet negativum operari putetur, quod dubii locô adductum est.

Dubium 4. Quô sensu Natura definiri soleat causa motus & quietis, reliquis affectionibus omissis, item hisce actum importantibus, cùm tamen proprietates de potentia intelligendæ sint?

Resp. Natura causa motus & quietis describitur non per exclusionem reliquarum proprietatum, *sed hisce æquè ab eadem causatis. Interim* plenius & perfectius declaratur, *dum non tantùm horum, sed in genere omnium affectionum & operationum causa definitur. Motus verò & quies (sicut & reliquæ affectiones corporis) non supponunt* pro actu secundo, *sed* pro primo, *quô actu cor-*

pus moveri & quiescere natum est, illô ipsi convenienti per accidens & in statu individuali; non genericô seu specificô.

Dubium 5. Quomodo Natura ad unum oppositorum determinata intelligatur, dum disparatos effectus producit?

Resp. Accuratè loquendo natura, prout hac vice generatim spectatur, non est, concedimus, determinata ad unum effectum seu causatum è genere disparatorum: *sic enim quantitatem verbi gr. vel motum, dum esset causa qualitatis, causare non posset quod falsum; sed ad eas, quas, tanquam suæ causalitati proportionatas causat affectiones & operationes, indifferenter se habet, dum actu primô causa esse intelligitur, atque si secundô, determinata est ad omnes, tanquam illas, quæ à se immediatè fluunt.*

Interim eò modô *unum oppositorum respicit*, quô necessariò operatur ut nunquā prorsum non operetur, atque ita ad operari & non operari, quæ contradictoria sunt, indifferens non est. *Deinde quia non operatur, quod in Physicis* heterogeneum *est, verbi grat. spiritum, vel intellectum &c. non causat.*

Præterea sciendum, disparata non esse pro-

priè

priè loquendo opposita, atque, utut superius concessum sit, diversa à natura causari, eadem tamen nondum opposita, scil. cum pugna, vocanda sunt.

Dubium 6. Vtrum natura principium seu causa activa; vel passiva; vel tàm activa, quàm passiva; an verò harum nulla sit: si enim solùm activa, utique non includet materiam quæ principium passivum est; sin tantùm passiva, excludet formam, quæ activum; sin utraq;, non erit causa efficiens, sed materia dum patitur, & forma, dum actuat?

Resp. Quoad τὸ materiale *natura tàm passiva, per modum materiæ denominantem, quàm activa, tanquam per attributum formæ, est, quia scil. materiam & formam includit hinc enim concludendum est; quicquid rem includit, id etiam propria attributa illius involvere; naturam autem, ut supra significatum, materiæ ac formæ essentias includere: ac proinde utriusq; propria attributa, à quibus denominetur.*

Quâ formale, *natura non est* passiva, quasi patiatur, *efficiens enim ut tale, non patitur, ceu in dubio innuimus: est enim con-*

tradictio in adjecto, agens, dum tale est, pati neq; activa, quasi actuet per causalitatem formæ: *sic enim iterum formæ & efficientis causalitates confunderentur, quæ tamen vel genere diversæ sunt, quia forma actuat materiam, se ipsam quoque tanquam actum eidem largiendo; efficiens verò suâ causalitate agit, & quidem non respectu alterutrius principii componentis, sed respectu effecti, quem producit.*

Veruntamen passiva & activa dici debet partim ratione causati: quia utriusq; attributi interna causa, & quidem efficiens est: *nam etiamsi illud ex materia, hocq; ex forma fluere dicantur, idem tamen evenit non nisi* prout materia & forma unitæ rationem efficientis, communiter Natura dictæ, sortiantur, *atque sic quoq; utrumque à natura proficisci dicetur: partim quia* formaliter seu sub ratione efficientis spectata non, nisi agit, atque sic per actionem activa seu potius agens est & passiva: *quia agit repatiendo quodammodo: quemadmodum enim nullum in Physicis patiens est, quin quodammodo reagat: ita vice versâ inter agentia finita nullum est agens, quin quodammodo patiatur: atque sic non tantum ratione materiæ, quam includit Natura, sed etiam ratione cau-*

ve causalitatis, quam efficientis exercet, cùm passiva tùm activa erit.

Dubium 7. An necessariò operetur, cùm in specie humana, quæ sub corpore naturali est, deprehendantur operationes liberæ, non necessariæ?

Resp. Quando statuitur naturam necessitate operari prænoscendum est, non intelligi necessitatem omnimodam, *includendo etiam necessitatem* coactionis, *juxta quàm operetur, cæteris necessitatis modis inclusis: sic enim non natura, sed violentum quid esset, seu coactum non ex propria essentia vim exerceret, sed impulsu seu coactione alterius, & quidem extrinseci: sed tamen necessitate, quàm vocant* causæ seu causalitatis, *quâ operatur, ut nondum impeditâ nequeat eandem vi propriæ essentiæ, à prima causa inditæ, exercere: id quod à posteriori deprehendere licet, quando quicquid causatorum corpori per naturam debetur; corpore existente nunquam non existit, à sola ejusdem natura ortum habendo. Operationes verò in homine, quæ fiantur nomine voluntariarum & contingentium, non* à natura hujus loci corporea, *sed* spirituali, *profluunt, in Pneumaticis attendendæ. Quò manet immotum, hujus (naturæ corporis) necessariam esse.*

Dubi-

Dubium 8. Vtrum natura habeat oppositum, videtur enim nihil ei obstare posse, quò minus causa interna efficiens sit, præsertim quia ex necessitate & per emanationem operatur?

Resp. Relictis oppositis disparatis, *v. gr. naturæ spirituali, & essentiâ supernaturali, quæ non tam opposita, quorum juxta naturam posita sunt : Item oppositione* contrariâ; *quæ non est corporis in genere, sed corporum in specie: Item* naturatò, *quod est oppositum* relativum. *Atque præterea* non naturali, *quod est contradictorium oppositum, dicimus* Casum seu causam internè exorbitantem *naturæ* physicè & quidem privativè *opponi; quemadmodum enim materia opponebatur informe chaos, quod formam nondum recipit, ut causa subjectiva seu materialis sit; ita efficienti internæ opponitur causa, quæ internè operari seu efficere deficit; quàm vocare solent Casum seu causam per accidens quà quid non juxta communem cursum naturæ efficitur. Falsum autem est, statuere naturæ nihil oppositi obstare seu obstare posse, quò minus suam causalitatem exerceat: obstare enim potest spiritus, qui in naturam vi oppositâ & præpediente agere potest,*

est, quod ex parte speciali; item notitiâ sensuali deprehenditur: sic anima potest corporis naturam cogere & coercere; spiritus malus potest elementa turbare, ciendo tempestates, potest animalium actiones multis modis impedire, &c. quibus assertis, defectus naturæ privativus statuendus est. Deinde, etiamsi nihil positivi defectum naturæ moliri valeret, nihil interim seu nō ens erit, in quo natura effectum producere non valet, nisi asseruerimus mundi corpus in nihilum (de negativo loquimur) operari, atque in nihilo efficax esse, quod abs ratione fieret.

Necessitatem ergò quod attinet illa præsupponit certa requisita, inter quæ est absentia impedimentorum, quæ ipsi extrinsecè contingere possunt, quò minus operetur. Dices verò impedimenta tantum effectum dari impediunt, non verò influxum naturæ internum prohibere valent, verbi gratiâ, datô igne urente, influxum caloris nullum impedimentum ab internô præpediet, quia hic igni per naturam convenit; sed saltem quò minus ignis calore quid comburat nonnihil obstare valet. Resp. Hoc certum est nec naturam eò usque impediri concedimus, ut scilicet ex se non agere possit, *vel,* datô impedimentô, non agat, *sed* quòd non possit intentum assequi seu

ſeu *(datis ſcilicet impedimentis)* effectum, uti producendus erat, juxta præſcriptum Autoris naturæ producere, *niſi conſideremus naturam, prout non tantùm* ab extrinſeco obſtaculo præpediri; *ſed etiam* à prima cauſa protinus tolli poteſt; *ſic enim etiamſi ex ſe non agere poſſe intelligatur, ſufficit interim, quod poſſit deficere quodammodo & quidem, datò externò obſtaculò: ſic namq; habebimus, unde ipſi cauſam deficientem, qualis eſſet, ſi natura præpediretur, privativè opponamus; ſufficit præterea, quòd defectibilis ſit in totum, reſpectu cauſæ primæ, quô pactô ad minimum tranſcendentali oppoſitô poſſibili gaudebit. De operatione immanente ſupra dub. 3. locuti ſumus.*

Dubium 9. Vtrum cauſa illa deficiens, ſeu Caſus reſpiciat defectum quendam, ſicut natura efficiens ſuum effectum, nempe illum qui communiter Monſtrum vocatur: videtur enim hic quidem in generatione & corruptione individuorum contingere, non verò in ſpecie & genere dari, ſic Petrus verbi gratiâ monſtrum poteſt

eſt eſſe, negatô quòd ſpecies humana monſtroſa ſit, nedum corpus, quod hac vice in conceptu adæquato & generico attenditur?

Reſp. Datô corpore & natura ipſius in ſtatu exiſtentiæ ac cauſalitatis perfectô, ſicut utrumque dari hactenus demonſtratum eſt, certiſſimum eſt horum oppoſita in eodem non dari, *ſic ergò datò naturæ efficientis effectu, naturæ, adæquatè deficientis, defectus non exiſtet, quia hic, exiſtendo, effectus naturæ exiſtentiam negat, atque certum eſt, quòd oppoſita ita ſe habeant, ut eo ipsò, quo unum affirmatur, alterum negetur. Hinc datâ naturâ efficiente in corpore non dabitur in eodem deficiens, datô in illo naturæ cauſato poſitivô & perfectô, non dabitur caſus ſeu deficientis naturæ monſtrum ſeu defectus in eo. Interim juxta* modum concipiendi naturali effectui tanquam oppoſitum adæquatum attribuitur, *non ſecus atque monuimus circa antecedentes ſcientiæ Phyſicæ conceptus atque in doctrina generalis partis ſubſequente tenendum erit, ſcilicet, quæ notiones partis genericæ ſunt reales, ſeu rerum, reveræ exiſtentium; eorum oppoſita ſunt entia rationis*

tionis : sic conceptus corporis est ens reale, ergò negatio seu nihil corporis non erit. Idem iudicandum est de casu & monstro hac vice, quod scil. munere intellectus *naturæ aßignentur.*

Dubia

DUBIA
De
AUTORE NATURÆ,
seu
NATURA NATURANTE.

DUbium 1. An certum sit, dari in Physicis primam efficientem, quæ sit Autor & Institutor naturæ; etenim non repugnat, ultimum in naturalibus sine primo dari: Item, posito, primum esse, non videbitur repugnare, idipsum naturam superius declaratam; vel corpus ipsum esse, licet enim dicas: ita idem sibi ipsi causa erit: quid absurdi hoc sit, cùm, asserto primo Autore, qui corpus ejusdemque naturam causarit efficienter, hoc ipsum de eodem dicendum sit: idem sibi ipsi causa erit non positivè, attamen negativè, dum aliam se priorem non agnoverit?

Resp. Non quidem à priori *concludi potest Naturam naturantē; seu Autorem Natu-*

 rali-

ralium existere: quia ejusmodi causa est partis generalis, cujus notiones causales se in illa disciplina priores non habent; hinc cognitionem causæ hujus, quæ est à priori, ex prima Philosophia, seu Pneumaticis, peti debet, ubi demonstratur spiritum infinitum esse, à quo omnia dependent. Ubi tamen nota, quòd probatio illa itidem non sit à priori ἁπλῶς: Deus enim non habet causam essendi. Sed κατὰ τὶ, nempe resp. physicæ ubi consideratur tanquam causa objecti inferioris, quæ per terminum Metaphysicæ vel Pneumaticæ notiorem concludi potest.

A posteriori *tamen firmiter ostenditur Autorem naturæ, adeoq; illius, quicquid corpus naturale est, revera existere: Datur enim naturatum: ergò datur Natura naturans, & quidem quæ sit omnium prima: quia negatur processus in infinitum; quippe, quó posito, nihil sciretur, siquidem intellectus noster immotam & infallibilem causam inquirens in infinitum dubitaret, eò, quòd non valeret ad fixum notitiæ terminum pervenire. Naturatum porrò est compositum: ergò datur componens, aliàs idem se ipsum componeret, atque hoc pactô se prius esset, quoniam omne componens ordine naturæ compositô prius est. Hinc manifestum evadit, repugnare, si statuatur,*

postre-

postremum; seu posterius, sine priore esse, quale esset, si corpus, quod naturâ posterius est, tùm partibus componibilibus, tùm efficiente componente, hoc ipsô careret.

Dispar autem ratio est, quando Autor naturæ, seu Deus sibi ipsi causa est & quidem in sensu negativo, quà scilicet non aliam positivam se priorem habet, & quando idem de natura verum sit: Deus enim est ens simplicissimum, natura autem seu corpus multifariam compositum: Hinc Deo nihil prius, natura verò ipsô posterior est.

Dubium 2. An Autor naturæ sit causa considerationis Physicæ: obstat enim causandi universalitas, quâ ipse ad omnes disciplinas sese extendit, atque hoc locô notio inadæquata est?

Resp. Deus consideratur bifariam: ratione essentiæ *spiritualis, atq; ita ad Pneumaticam spectat, ac* ratione causalitatis, *& quidem vel illius,* quâ ad res contingentes efficienter concurrit, *quô respectu ad Prudentiam & Artem spectat; vel* quâ ad necessarias producendas atq; conservandas efficaciter præsens est; *quod harum eas attinet, quæ nomine naturæ veniunt, Physicæ considerationis sunt, ac proinde Deum, prout earum*

rum institutor ac gubernator est, physicè spectandum admittunt: scire enim est rem per causam cognoscere: at Autor & Conservator naturæ est causa quædam: Ergò res naturales scire, est eas inter alias causas per Autorem naturæ considerare, ac proinde hæc causa hujus tractationis erit. Certum autem est Deum in universum omnia operari: ita verò consideratur, in attributo omnipotentiæ, *nec adæquatè huc spectat; sed est cognoscendus in scientia de spiritu.*

Quà tamen attenditur secundum potentiam ordinatam, *ut vocant, scil.* ad cursum naturæ, *causa objecti Physici adæquata est: quia hoc ipsum in generali conceptu sub ratione causati cognitum, ab illa sola dependet, tanquàm à causa efficiente naturali seu naturante. Quemadmodum igitur qualibet disciplina particulam Dei considerandi præscindit: ita physica rerum suarum tàm ignara non est, ut eaidem certo æq; se cognito naturæ Autori asscribere dubitet.*

Dubium 3. Quia Scientia per proximam causam debitâ perfectione acquiritur, notitiâ remotæ, qualis Autor naturæ est, Physica poterit destituta esse?

Resp.

Resp. Scientiæ acquisitio est per causam proximam, non exclusione remotæ: *dantur enim conclusiones, ostensæ per causam remotam, ut ex Logicis patet; Verùm* remotæ suppositione: *nam positô, proximam non esse primam simpliciter, sed remotiorem ac priorem admittere, non poterit esse, nisi prior illa præsupponatur, multò minus esse causa proxima, quia à priori seu remotiori dependet. Sciendum autem sermonem esse de remota non* contingenter causante, *utpotè à quâ ad causatum firmiter ac scientifice concludi nequit*: *Sed* necessariò causatum producente: *hinc enim, utut immediatè non attingat effectum, sufficit concludi posse, effectum, illâ posita, nondum non existere.*

Quod ergò attinet Autorem naturæ, positô, ipsum in hac physicæ parte causam remotam esse, nihilominus si necessaria fuerit, de quâ mox agemus, à scientia illa non aliena erit; eaq; propter causam indigitatam, quia scilicet per eam itidem constat, quod de causato innotescit per proximam, utut specialiora illius attributa huic soli sui notitiam debeant. Et quemadmodum individua sunt Physicarum rerum fundamenta à posteriori, *atque in Scientiæ naturalis ascensu: ita causa omnium prima est* terminus, seu basis ejusdem *à* priori *inq; descensu Physicas notitiones habi-*

tualiter cognoſcendi. Quare negandum eſt, cauſâ primâ ignoratâ, ſcientiam perfectè & fundamentaliter poſſideri. Deinde nihil minus affirmari poteſt, quàm Deum in parte generali Phyſicæ corporis *cauſam remotam eſſe: aliàs ſtatuendum eſſet, naturæ Inſtitutorem inſtrumentalem ſeu proximum dari, huncq́3 genera ac ſpecies producere ac inſtituere poſſe, quod omnibus modis abſurdiſſimum eſt. Quin ſoli cauſæ, quæ infinitæ virtutis eſt, illorum productio ac inſtitutio tantiſper attribuatur, quantiſper particulares cauſæ tantummodò ad eorum in individuis conſervationem concurrunt. Quod ſi verò Autor naturæ conſideretur* reſpectu attributorum naturalium, *quæ corpori per naturam internam conveniunt, fatendum, ipſum eorum cauſam efficientem remotam eſſe: quia corpori* vim *naturæ indidit*, quâ mediante, *hæc ex ejusdē eſſentia fluunt, ipsô tamen* primitùs influente, *atque naturam illam, quæ in corpore reſidet, tanquam cauſam ſubordinatam, movente & ſuſtentante, quô officiô cauſa prima ſalutatur.*

Dubium 4. An Natura naturans; ſeu Autor naturæ neceſſariò cauſet; ſalvâ ejusdem libertate, à qua liberrimum agens denominatur?

Reſp. Non quidem neceſſitate coactionis,

nis, *quâ quadam efficientia seu agentia, externô impulsu necessariò agunt, Conditor naturæ caussare dicitur: hæc enim necessitas arguit in agente impotentiam seu imbecillitatē quandam, quâ id subesse cogitur potentiæ impellenti, quod de Deo affirmari nequit.*

Veruntamen necessitas agendi Physica *sanô sensu ipsi asscribitur: quatenus enim secundum potentiam ordinatam & juxta modum operandi & concurrendi connaturaliter debitum agere intelligitur, stante hypothesi voluntatis, secundum illum modum operandi, verum est quod de concursu ipsius communiter dici solet, quòd nempe cum necessariis necessariò, cumq; contingentibus contingenter operetur: hinc enim certum est concursum potentiæ ordinatæ Physicum esse, sicut Physicè & ordinariè hoc locô attenditur: aliàs, si scilicet secus ageret, natura ab eo instituta desereretur, omniq; influxu, qui tamen cum influxu Dei concurrentis idem est, destitueretur, atque sic tàm contingens esset, hanc operari, quàm facilè Deus juxta ordinatam potentiam aliter, ac res naturalis ipsius concursum requirit, agere existimetur, quòd falsum.*

Deus præterea necessariò agit necessitate perfectionis, *dum nequit impediri in operatione, quâ res naturales producit atq; conservat: item quia optimum & perfectissimum*

facit, tanquam causa cui omnis bonitas atque perfectio in summa ac incomprehensibili eminentia convenit.

Est nihilominus liberrimum agens prout spectatur ratione infinitæ atque absolutæ voluntatis, adeoq; juxta potentiam, ut dicunt absolutam: *etenim, nisi secundum hanc considerationem ipsum liberè operari statuamus, concedendum, eum finitum ac certo modô impotentem esse: quia ipsius actionem voluntariam ad rem naturalem, nihil præter hanc moliri valentem, alligabimus, quod perabsurdum.*

Sed dices: necessitas illa, quâ superius dictum est Deum operari, non est ejusmodi, quæ ad scientificam considerationem sufficit? Respondeo: non enim absoluta & omnimoda *necessitas ad quamlibet* ἀπόδειξιν *requiritur: quia demonstrationes admittunt gradus propter necessitatis, ex qua Scientiam, hujus perfectioni ac gradui proportionatam, generant, discrimina: (Sic in Physicis nullibi absoluta necessitas datur.) Sufficit ex* quodammodo necessariis *præmissis infallibilem ac evidentem conclusionem intulisse, qualis hoc locô erit, quæ vel à posteriori ad demonstrandum naturæ Autorem, vel à priori pro concludendo hujus effecto, procedit. v.gr. positâ re naturali seu natura naturata, ponitur Autor naturæ*

turæ: atqui illa ponitur: Ergò & hic. Rursum: datô Autore naturæ (Deo juxta ordinariam potentiam atque cursum naturæ, nempe quô natura, ut vocant, naturata agit) datur natura seu corpus naturale, quæq; eidem immediatè insunt. At ille datur. E. & hoc. Unde liquet, quâ ratione ac consideratione Deus ad Physicam spectet, & quomodo causa hujus scientifica dici queat.

Dubium 5. An Deus corpus naturale ipsiusq; essentialia consequentia immediatè causset: Dicunt n. quòd cum secunda agat: hujus sententiæ exemplum est, quando, mediante efficiente internâ, qualis natura est, vim suam exercet?

Resp. Deus seu Autor naturæ, prout caussaliter ad corpus naturale ordinatur, partim mediatè; *partim* immediatè *operatur.* Mediatè *bifariam*: quà nempe *concurrit* ad principia corporis constituentia scilicet materiam & formam: *quarum illam facit ad recipiendam formam adeoq; compositum materialiter constituendam idoneam: hanc verò instruit suo concursu, ut materiam actuet & corpus formaliter constituat atq; sic ad rationes causales talium principiorum, mediantibus ipsorũ essentiis seu substantiis ἐνεργητικῶς*

concurrit: nisi enim hoc concesseris, causalis eorum ratio prærogativa independentiæ gaudebit, quâ substantia harum destituta est, dum à Deo dependet. Deinde quà ad causam efficientem internam, quæ est natura corporis, sese efficienter extendit, *causa affectionum & operationum à naturâ immediatè profluentium, mediata est: aliàs enim natura corporis earum causa vel prorsum non esset, vel ejusdem ordinis cum prima, vel prima (Dei) prima, quod ubivis falsum est. Ubi tamen sciendum est* rationem efficientiæ, *Autori naturæ hac vice assignandæ,* in duplici hoc concursu mediato nequaquam absolvi, *quin potius hic ipse secus, ac efficientis adæquatæ nomine salutari debeat: prout enim per formam potens est* formaliter; *quà per materiam* materialiter; *quoadq; per naturã* naturaliter, *seu tanquam efficiens internum; quatenus autem corpus producit, de qua mox loquemur,* efficaciâ externâ *concurrere dicatur, atq; illud ideò, quia cum secundis concurrit juxta naturam earundem, quam in causando sortiuntur diversam; quæ scil. cùm sit per diversas rationes causales diversa, concursum causæ primæ, iisdem modificatum, ac diversum arguit.*

Immediatè *autem operatur,* prout ordinatur ad corpus naturale adæquatè, seu prout

proutid, ut materiâ & formâ, adeoq; naturâ, intrinsecus efficaci, constet modò incomprehensibili producit, nec non conservat, *propter causam dub. 3. allatam. Ubi præterea notandum Deum tunc immediatè operari, nō* quasi mediâ actione corpus nōdum producat: *aliàs non posset causa corporis efficiens salutari, quia actio seu influxus est ratio efficientis. Verùm quia* non alia, scil. secundâ, causâ interveniente, idipsum efficit, *& quidem* immediatione *tùm* virtutis, *uti vocant: quia virtus ipsius corpus immediatè attingit; alias hoc non produceret, quia terminus quidam productionis est effectus, quem hæc proximè attingit; tùm etiam* immediatione suppositi seu divinæ substantiæ: *quia DEus omnibus intimè præsens est, quod ex Pneumaticis constat.*

Dubium 6. Quomodo affirmari possit, Deum corpoream substantiam producere, cùm tamen nihil corporeæ essentiæ insit Deo, quo de corpori essentiam consimilem largiri queat?

***Resp.* Deum corpus producere, ex quæstione prima conspicuum est, hacq; ratione infallibiliter constat: Deus est essentia infinita; Ergò & virtutis; Ergò virtus ipsius, & quidem ἐνεργητικὴ sese ad substantiam corpoream diffun-**

diffundit, praeterquàm, quòd creator substantia spiritualis sit.

Quamvis autem sit essentiæ merè spiritualis, quæ omnem compositionem materialem respuit, ac proinde natura corporis ipsi non formaliter, *conveniat: corpus tamen, uti omnia, quæ extra divinam ipsius naturam existunt in hac* eminenter est; *quatenus scil. in Deo virtus seu potentia datur, ratione cujus corpus & producibile & actu productum fuit; quod si igitur neq; formaliter, neq; eminenter id, quod corpus est in Deo esset, ratio dubitandi valeret: sufficit verò ipsum infinitæ virtutis esse, quæ illam, quâ corporea substantia efficiatur, nequit excludere.*

Dubium 7. Vtrum productio corporis naturalis ex nihilo sit ratio caussalis primæ efficientis seu Autoris naturæ: videtur enim ex nihilo nihil fieri, & licet regeras, ratione absolutæ potentiæ divinæ hoc principium nō valere; sufficit tamen ratione ordinatæ, in qua Deus hoc locô spectatur, ut supra patuit, id verum esse?

Resp. Physicus sanè nihil minus asserit, quam extra Deum aliquid, è quo corpus, tanquam ex subjacente, productum sit, praextitisse:

tisse: quia nullum medium quod rem præsuppositam concludat, seu inferat, suppetit. Hinc productio ex nihilo eoq; negativo est ratio caussalis, quâ Deus corpus efficit, nullâ causâ positivâ & speciatim subjectivâ; vel nullô terminô à quo positivô, per durationis diversitatem priore. Quod verò attinet ad principium seu canonem superius allatam, illud de aliquo formæ *intelligendum est, scil.* ex nihilo materiæ negativo nihil formæ fit, *non verò* respectu totius corporis Physici, *quod è nihilo producitur. Et quidem potentiâ Dei non,* absolutê *tali, quin potius secundum hanc non producit effectum certum & determinatum: sed omnes indeterminatè producit, quot producit, & longè plures non uno modô, sed multifariam producere posse creditur: Ideò etiam absoluta dicitur: quia nondum ad certum aliquem producendi modum ordinata ac determinata est. Verùm* ordinatâ: *quia corpus naturale efficit eâ virtute atq; efficaciâ, quâ non secus (v. gr. ex aliquo praeexistente) atque ex nihilo id facit atq; conservat, influxu atq; ordine illô, secundum quem id ipsum, fieri ac conservari deprehendimus, exactissimè servatô, ac continuatô. Negandũ ergò est Deum nihil ex nihilo secundum ordinariam potentiam producere, quemadmodum scil. corpus ex nihilo producere, non dicit rationem potentiæ*

tia absoluta: ratio enim hujus est agere posse quicquid non caret possibilitate essendi: sic non obstat, quò minus secundum ordinaria corpus è nihilo fieri asseramus. Præsertim cùm non detur, ex quo productum sit, demonstratô quòd fiat secundum potentiam ordinariam: ceu patet ex dubiis antecedentib. ac præced. 4.

Observa autem quòd Deus corpus, è nihilo productum, in aliquibus conservet, *nempe* in speciebus suis immediatè *atq;* in individuis mediatè, *de quibus alibi.*

Dubium 8. An Deus, seu prima causa, non tantùm corpus, sed etiam corporis interna principia producat, nempe an creet materiam, & formã, atque utrum productio hujus possit dici eductio è potentia materiæ: si negaverim9 principia produci à Deo, erunt æterna & independentia quod falsum; sin affirmaverimus, eatenus non erunt principia, neque Deus eorum productorum respectu erit causa efficiens adæquata & perfecta: quia ipsius ratio causalis in productione principii nõ absolvitur. Deinde quod formæ eductionem attinet, videtur

locum

locum habere id, quod dub 5. de Materia innuimus, ubi aliàs concedendum fuisset ipsam, quòd si è potentia materiæ educatur, huic immersam esse; sin eductionem negaverimus, forma vel prior materia, vel, si simul cum hac ipsa sit, neque productionis, neque producti corporis πλείωσις erit; ratio hæc est: quia hæc resultat ab eo, à quo ἀποτέλεσμα incipit?

Resp. Verùm est, principia non posse rationem principii habere *quatenus producuntur*, *sed* effectorum seu principiatorum nomine salutari, *hinc meritò si quæritur, an producantur, in doctrina atq; respectu efficientis respondemus, id, quod principium corporis dicit, produci non,* nisi concomitanter seu connotativè, *vel, quod idem est,* comproduci, & quidem eodem influxu, quô corpus tanquam adæquatum principiatum producitur; *quia principium, cum alio unitum producere, nihil aliud est, quàm principiatum ex illis constans producere, eò quòd hoc ipsum, præter illa unita, nihil sit. Quod verò spectat modum producendi formam,* loqui *quidem possumus cum* multis, *dicentibus, ipsam è potentia materiæ educi;* sentientes tamen cum paucis & accuratioribus, *asserimus,*

rimus, particulam, è, non debere accipi prout nota causalitatis materialis est: *Sic enim materiæ potentia, tanquam causa subjectiva, ingrederetur essentiam formæ, atque sic forma materiata esset; quod falsum; sed significare* rationem concomitantis seu termini à quo, tanquam ordine priori, forma extra nihil ponitur, ut ἀποτέλεσμα Physicum, inde emergat: *cujus meta scil. seu terminus, ad quem pervenit, actus formalis non secus est, ac potentia materiæ terminus, à quo id fieri inchoat. Hinc breviter patet quid dicendum ad rationem dubii. Concedimus præterea rationem efficiendi causæ primæ non absolvi in productione, v. gr. essentiæ materialis: non obstante, quod de productione seu comproductione principiorum attulimus.*

DUBIA
De
QUANTITATE.

DUbium 1. An Quantitas adæquata corporis naturalis affectio sit, utut Physicorum plurimi eam silentio præterierint, dum de attributis corporis egerunt: quamvis præterea hæc videatur ita comparata esse, ut generalior sit, quàm corpus naturale est: extendit n. se ad Mathematicam, quousq; corporis consideratio non pertingit; vel, quod magis est, ad Metaphysicam spectat, quô nomine naturam transcendentium sibi vendicabit, è quorum numero physicalia minimè sunt?

Resp. Utiq;: quia omnibus requisitis propriæ affectionis gaudet, dum corpori in Physicis attribuitur: *præterquam n. quod* è corpore naturali, seu à natura immediatè & per simplicem emanationem fluat; corpus immediatè & necessariò afficit, *ut id per se quantum prædicetur*: eidem etiam soli & reciprocè convenit, *quo titulô proprium*

 quarti,

quarti, ut vocant, modi evadit: dum nihil propriè quantum est, quod nondum corpus naturale sit, & nihil corpus naturale dici meretur, quod quantitate per se praditum non est. Est *praterea* in corpore, tanquam in proprio subjecto, evidenter contemplabile: *quia scitur per necessariam & proximam causam: etenim quoniam corpus materiatum est; constat idem quantum esse, cum Quantitas peculiariter materiæ, prout est in unione cum forma, tribuitur, quod vel inde deprehendimus; quando videmus ea, quæ materia sunt destituta, Quantitate quoq; carere, ut sunt: Deus, Angelus, Anima, Accidentia & Modi.*

Nihil ergò quorundam Physicorum silentium moramur: neq; n. ab autoritate in Philosophicis simpliciter *concludendum est; præsertim si* negativè *velimus procedere: quia contingit Autores philosophando imperfectos esse, ut ita, quod his denegatur, non statim de re affirmari desinat.*

Deinde quod attinet latitudinem quantitatis genericam, consideratur bifariam: 1. ratione Accidentis, cujus immediata species est; *atq; sic ad Metaphysicam spectat δευτέρως, prout genericam Accidentis Metaphysici naturam seu essentiam distinguit: non secus, atq; corpus naturale superius ad illam pertinebat:* 2. prout à continuitate & discretione termino-

minorum, seu partium suarum, præscindit, *quo sensu, concedo, corpore generalior, ac proinde affectio hujus minimè est.* 3. ratione continuitatis partium, extra partes datarum: *& hac consideratione adæquatè corpori naturali convenit; nam Mathematica vendicat sibi tantummodò discretam, vel, positò continuâ etiam eò spectare; hoc tamen non fieret secundum eandem rationem; hoc locò n. quantitas attenditur* prout est affectio, *ibi verò* rationem objecti haberet: *hoc locô consideratur,* quatenus naturalis *est, quemadmodum superius explicuimus: ibi* prout est mensurabilis, seu ut figurâ determinatur, &c. *Atq; hæc considerationis diversitas innuit etiam quô sensu negandum sit, quantitatem ad Metaphysicam spectare, ut corpori naturali hoc loco adæquatè tribui queat.*

Dubium 2. An quantitas corporis naturalis sit accidens, à corpore realiter distinctum; an verò modus saltem: videtur n. juxta sententiam Nominalium nihil, præter nudum modum, esse, quia collocatur istius ratio in intensibilitate, quæ modus est; nec causa datur, quâ quis firmiter statuere queat, eandem re à corpore distinctam esse?

Resp. Quantitatem non esse nudum modum, à Substantia corporea formaliter saltem distinctum, sed accidens, quod re à corpore diversum est, ita demonstramus:

Quicquid corpus ita afficit, ut partes ipsius ad determinatum spacium distendantur, ne plures in eodem spatio simul esse queant: item quod præter extensionẽ illam, corpus divisibile reddit, ac proinde non in nuda determinatione, *sed* in re, corpori distinctas determinationes largiente, *consistit: illud reapse à corpore diversum est: siquidem nullus modus (nisi velis dicere modum idipsum esse, quod nos accidens dicimus) quicquam est, nisi debilissima ac nuda, eaq; actualis, determitio, quæ scil. non gaudet tàm diversis, insignibus & ad sensum usq; pertingentibus effectis: At extra dubium est Quantitatem corpori naturaliter in existentem, non se cus sese habere:*

Igitur quantò plura quantoq; insigniora erunt ipsius munera, quæ corporis substantia ex se nondum exercet, tantô magis ens, tantòq; minus nudus modus erit; quin à subjecto suo re diversum sit.

Sciendum aliàs esset, accidentia reliqua, quod si quantitas tale quoddam negaretur esse, eadem negandi facilitate corruere, quod falsum.

Quanquam igitur ratio Quantitatis in extensi-

extensibilitate collocetur, non tamen existimari debet, hanc nihil prater nudum modum esse, utpote qui duo tantùm rei, cujus est modus, præstat: hanc per se solam determinationem, determinare, & *deinde* denominare *v. g. Unitas nihil præstat enti, quàm quòd idipsum à multitudine per rationem indivisionis, in qua consistit, vindicet & unum denominet.*

Verum censendum venit extensibilitatem seu extensionem illam esse certum τὸ inesse per modum accidentis: quia, ut modò indigitatum, debilem modorum rationem entitate & determinandi prærogativâ superat: nam corpus per actualem extensionem, essentiâ suâ in actu primo (extensibilitate) collocata, ad locum determinat, ut per hanc illius partes quasi extra se pellantur, & certô ordine ad locum sibi naturaliter debitum, dirigantur, &c.

Dubium 3. Quænam sit ratio quantitatis utrum extensio, anverò divisio: nam quod divisibilitas potiùs ratio quantitatis sit, videtur colligi posse exinde, quia est extensione prior, utut Philosophi contrarium doceant: etenim quantò magis res dividitur, tantò latius extenditur, tantoq; verius par-

tes proponuntur, ut ita divisibilitas seu divisio, extensionis causa sit, hæcq; illius effectus, seu necessarium consequens. Sin verò hoc affirmabitur, quantitas erit accidens Corpus destruens & non perficiens seu naturale: nam divisio causa destructionis est?

Resp. Quantitas consideratur bifariam: Absolutè & secundum esse accidentale simplex: *deinde* ratione corporis, quod, tanquam affectio propria afficit, deque quo necessitate apodicticâ concluditur.

Priori modò in extensibilitate *consistit, quæ prior est divisibilitate: nam nihil potest divisibile esse, nisi prius concipiatur habere partes extra partes, adeoq; extensum esse: ex quo sequitur divisibilitatem quantitatis consequens potius esse, quàm ut ratio interna sit. Et licet ratio dubitandi pugnet pro sententia inversa, quâ statuatur divisibilitatem priorem extensione esse: nihil tamen obtinet: nam per divisionem* non extenditur *quantum, sed* discernitur, *idq; fieri non posset, nisi prius extensum intelligeretur. Item per actualem divisionem* destruitur *quantum, quia ad multitudinem tendit, quæ declinat in nihilum; quomodo ergò potest divisio ratio quantitatis esse, dum quantitas accidens corporis perfectivum est?* Et

Et posito per divisionem Corporis partes extendi, distinguendum erit inter extensionem per se; *&* per accidens corpori convenientem: *sive inter extensionem, Corpus* perficientem; *& eam, quæ idipsum* destruit.

Hæc poterit à divisione provenire; non verò illa, quæ divisione & divisibilitate naturâ prior est; Tunc verò partes non ponuntur extra se continuitate, *sed* extra se per discrepantiam, *quæ facit, ut corpus non* unum seu totum, *sed multum seu* in partes divulsum sit, *quâ ratione hoc loco non posset objectum esse.*

Quatenus porrò quantitas respectu corporis attenditur, quippe quod afficit tanquam attributum proprium, dicimus rationem ipsius consistere in eò, quod corpus ad spatium positione partium extra partes extendat, *quemadmodum ex se & secundum rationem qua peculiare accidens est subjectum suum, extendere apta nata est; dum in extensibilitate consistit: Fundamentum harum rationum diversarum suppeditat, ut initiò dixi, diversa quantitatis conditio: aliud n. est hanc* esse peculiare accidens; *& aliud* eam afficere substantiam, ut ad locum extensa sit; *per illud est,* quicquid est; *per hoc (afficere &c.)* gerit officium determinantis & accidentaliter perficientis: *huic quoq; pro duplici*

isthac consideratione duplicem rationem sibi vendicat.

Obiter observari debet, quòd divisibilitas, qualicunq; etiam nomine quātitati tribuatur, non statim destruat *quantum, sed potius* idipsum quantum esse indigitat; *cùm partitium extra partes positionem materialiter involvat; quin* potiùs accidentalis modus sit, qui & quantitatem & quantum ultimò determinat. *Divisio tamen* actualis, *ut suprà diximus, via ad destructionem, adeoq; ad non ens est; quam quanto per se convenire inficiamur.*

Dubium 4. Ex antecedentibus colligi valet, continuitatem seu quantitatem continuam tantùm corporis affectionem esse, discretâ quantitate ad Mathematicam & speciatim ad Arithmeticam relegatâ, quod apparet factum fuisse abs ratione; siquidem certum est corpori, prout multiplicatum, vel multiplicabile est discretam quantitatem non minus, quam sicut continua eidem debetur, naturaliter convenire?

Resp. Accuratè philosophando, nihil propriè, quantum est, quàm quod continuum est

est, seu cujus partes communi termino copulantur: nam quod continuum non est, illud ne unum quidem erit, nisi verò hoc fuerit, non poterit ens dici: quia hoc ipsum cum unitate reciprocatur. Quantùm autem esse unum, esse etiam ens, nemo inficias ibit: ergò nullum quantum nondum continuum est.

Licet autem dicas: Discretum est unum quamvis non re, *tamen* ratione, *vel: quamvis* non actu; *tamen* potentiâ: *respondendum nobis est, quod ita etiam ens, accidens, quantitas, & affectio corporis sit: sc.non* propriè, *sed* juxtà consuetum loquendi morem, *atq; ita relinquatur, quantitatem continuam duntaxat propriò in sensu hujus loci affectionem esse. Discretam verò quantitatem, seu numerum non convenire corpori*, prout hac vice unitate objecti gaudet, *licet* in statu multiplicationis v. g. specificæ ac individualis *idem multùm atq; proinde numero determinatum esse contingat.*

Dubium 5. An quantitas (sic etiam reliquæ affectiones.) infinita actu sit, an verò infinitâ potentiâ dicatur; posterius arridet nobis eò, quòd semper magis magisq; extendi queat, quemadmodum motus v. gratiâ in infini-

tum continuari tempus in infinitum decurrere &c. posse videntur?

Resp. Neutro modo infinita est. Non actu; *quia natura creata infinitum actu abhorret: Item corpus, cujus quantitas affectio adæquata est, certis essentiæ terminis clauditur: ergò & proprietas ejus: aliàs enim hæc non esset adæquata; quia ubi corporis essentia desineret, illa sese in infinitum extendere pergeret. Præterea natura ultra vires suas ageret: quia virium naturalium & finitarum dum esset, causaret proprietatem infinitam, quod absurdum.*

Nec potentiâ: *Nam dantur certi termini quantitatis (sic etiam Qualitati, Motui &c. naturales termini à natura positi sunt) quos natura harum affectionum ex se & per se transilire posse nō dicitur. Et quanquam* per accidens sit, naturam interdum, justò & debitò vel minus; vel majus caussari (*qua de causali exorbitantia casus nūcupatur*) *eo ipsô tamen* nō dicitur potuisse, *sed* defecisse, vel exorbitasse; adeoq; in causando potius impotens fuisse. *Item etiamsi extensionis terminus tunc nondum observetur, sed ultra naturæ præscriptū, v. g. quantitas, detur: non tamen proinde quantitatem in infinitum extendi valere asserendum est. Sed summatim potius* quicquid

quid contra & citra præscriptum naturæ esset, illud in Physicis naturaliter fieri posse minimè credendum est: *quantitatem posse in infinitum extendi contra præscriptum naturæ esset: ergò eam potentiâ infinitam esse, apud Physicos locum non habet.*

Ergò finita est, quacunque ratione spectetur: quia est ens finitum, cui rationes, quas includit accidentales & causales finitate ex æquo correspondent.

Dubium 6. Utrùm quantitatis aliqua efficacia sit, quod si statuatur, contra sententiam Philosophorum receptam dimicabitur, quippe qui omnē efficiendi vim ipsi denegant ideò, quoniam à materia potissimùm proficiscitur, quæ uti efficaciâ agentis est destituta: ita accidens efficax causare nequit: aliàs effectus causâ suâ nobilior; hæc verò ipso deterior esset: quo minus verò omnis efficacia eidem adimi possit, obstat, quod majori quantitate prædita fortius operentur, quàm quæ quantitatis defectum patiuntur.

Resp. Verum est quod Philosophi de quantitate sentiunt, dum omnem vim efficientis causalem ei detrahunt, & quidem per rationem

nem superius allatam: Quamvis enim quantitas corporis, de qua modò disputamus, non proficiscatur à materia seorsim; *ab eadem tamen* prout cum forma unita est, vicemque naturæ cum eadem sustinet, *primaria emanatione profluit: quia redolet ingenium materiæ, dum ad patiendum corpus determinat, id quod materia fundamentaliter & πρώτως præstat.*

Nec valet quicquam, quod obstare videtur: Nam quantitas ordinatur ad operationes non quasi ex se activa *sit: probatum enim est istius nullam vim esse. Sed* tanquam necessaria conditio & requisitum: *quia enim operationes Physicæ sunt materiales, non commodè absolvuntur, nisi adsint etiam, quæ ad materiam spectant, è quorum censu quantitas præcipuè est. Ergò modo indigitatô hanc quævis operatio Physicà efflagitat, seu prærequirit. Inde est, cur observare liceat, minus idoneæ quantitatis agentia, vel nihil, vel parum efficere. v. gr. si homo, vel leo quantitati muscæ, seu formicæ includeretur, tãtùm operis minimè efficeret, quantum absolvit in debita quantitatis ἀκμῇ seu perfectione constitutus: quia scilicet destitueretur necessariô ad agendum requisito.*

Dubium 7. An figura ad quantitatis natu-

naturam requiratur: negativa plausibilior apperet, cum hæc à quãtitate genere diversa sit: etenim quantitas est res secundæ, figura verò accidens tertiæ categoriæ, nempe qualitatis; unde si vel maximè assignetur quantitati, hoc fiet per accidens: non verò quasi terminus ipsius per se sit?

Resp. Figura non quidem de essentia *quantitatis est: interim non obstat, quò minus ad hanc* tanquam terminus *pertineat: quemadmodum enim forma substantialis terminus materiæ est, utut nondum de hujus essentia sit: ita figura, seu forma accidentalis, quæ est è genere qualitatum, quantitatis terminus evadit, licet non* internus, *qualis de essentiâ determinati est: tamen* externus, *quatenus materiale accidens, quod est quantitas, per modum actus formæ cujusdam accidentalis limitat atque perficit.*

Ratio dubii igitur probabit tantùm, quòd figura non sit de essentia quantitatis interna, *non obstante, quòd terminus,* accidentaliter ad quantitatem pertinens, *dici queat. Sciendum autem figuram non esse accidens quantitatis* commune: *sed* proprium: *quia quantitati soli & semper convenit necessitate*

cessitate quadam: nec etiam requiritur, ut proprium ejusdem cum eo, cujus est proprium, generis sit; sic quantitas est proprium corporis, ejusdem tamen cum eodem Categoriæ nequaquam est, modò soli; semper, & necessariò rei conveniat, id quod de figura affirmari debet, cum nulla detur quantitas, quæ careat figurâ, sibi naturaliter debitâ: hinc præterea figuram non per accidens *(commune) sed* per se, tanquam proprium *de quantitate prædicari censendum venit.*

Dubium 8. Utrum terminus quantitatis, quem maximum vocant, detur in Physicis eâ certitudine, quâ sciamus, quantum, seu quàm magnum corpus naturale præcisè sit: videtur enim absurdum esse, hoc quantitati in genere tribui, cùm nullius quanti in specie maximum naturaliter sibi debitum præcisè determinari queat?

Resp. Utiq; non tantùm in specie *determinari potest maximum, sed etiam* in individuo, *quale tamen hujus loci non est: scilicet maximum in specie desumendum est à quanto specifico, omnium perfectissimo: juxta illud quantum per se quantum, & quidem magnitudine absolutissimâ dici meretur: nam quia*

quia natura intendit id, quod est perfectissimum: utique illud quantum terminum naturæ importabit, quod respectu aliorum majus, nulloque minus ac imperfectius est. Item judicandum de maximo individuorum, quod hujus loci non est, sed saltem explicationis locô hîc attenditur.

Maximum *verò* genericum, *de quo hac vice potissimùm dubitatur, aliter non est determinandum, quàm quòd non detur in genere eo majus, se minore quodam; atque sic generale* generaliter *determinatur, quod satis est, licet* in specie *non dicatur quàm magnum sit: aliàs enim non diceretur quantum genericè, sed quàm magnum inadæquatè & specificè sit.*

Dubium 9. An quantitas habeat oppositū, videtur enim nihil apud Physicos occurrere, quod eidem adæquatè opponatur; licet enim dicas privationem eidem opponi: non tamen video, quô pactô, oppositum ipsius adæquatum esse queat, cùm, ut suprà constitit, hæc formæ opponatur: nec diminutio oppositum quantitatis est: quia non dicit omnimodū defectum ipsius, sed aliqualem tantùm partium quantitativarum destructionem?

Resp.

Quemadmodum datur oppositum corporis hujusq́ principiorum: ita etiam hujus affectiones propriæ sua opposita habent, & quidem quod quantitatem concernit, distinguendum est inter στέρησιν substantialem; & accidentalem: *privatio substantialis, concedo, ipsi non convenit: quia quantitas non est substantia: opponitur autem eidem privatio accidentalis dimensionum: quippe quam Philosophus innuit, dum, ut suprà dictum est, materiam ex se nec quantam, nec qualem, &c. esse innuit:* στέρησις *ergò quantitatis in materia, vel corpore naturali hujus loci oppositum est. Pertinetq́ ad non ens privativum, quod corpori opponebatur: nam quod dicit negationem corporis: idem negationem affectionum importat: non ens, seu nihil corporis, hujus negationem involvit. E. & quantitatis. Ergò datnr oppositum quantitatis. Diminutio autem est oppositum Quantitatis non* adæquatum, *sed* in adæquatum, *uti ex Dubio constat.*

Dubia

DUBIA
De
QUALITATE.

Dubium I. Eodem modô de Qualitate dubium est, quô de Quantitate: quia scilicet hæc itidem ad plures disciplinas sese extendit. v. g. ad Philosophiam primam, ad Pneumaticam, nec non ad Philosophiam Practicam: utique in Physicis de eadem adæquatè agi non poterit?

Resp. Qualitas in physica non usque adeò generaliter, prout scilicet universalem omnium qualitatum conceptum notat, accipitur: *in hac enim latitudine ad disciplinam, physicâ generaliorem, referri utique debet: sed* specialiter pro qualitate naturali: *sicut enim omnes termini Physici per τὸ naturale restringuntur & scientiæ suæ adæquantur: ita Qualitatem per restrictionem ad naturam in Physicis consideramus; non prout à naturali præscindit, & tanquam generalissimus omnium Qualitatum conceptus, ad naturalem & acquisitam indifferens est: quia enim acquisita qualitas non pertinet ad Physicam: quoniam non ab interno naturæ principio profluit, sed naturæ superadditur ab externo: fieri non potest, ut tam generaliter à nobis Qualitas*

hoc loco accipiatur. Sit igitur, Metaphysicos de Qualitate, notione generalissima quodammodo agere posse, sit etiam, Pneumaticum de qualitatibus spirituum finitorum agere, ac porrò practicum de virtutum: in physicis de Qualitate naturali sermo est, quæ scil. omni & soli corpori naturali convenit, juxtaq; sub triplici differentia est: δύναμις φυσικὴ; ποιότης παθητικὴ: ac deniq; σχῆμα seu figura. Ubi tamen nota, quòd, etiamsi Qualitas naturalis non tantùm generalis sit in parte communi physicæ, sed inibi etiam totuplicis speciei, nihil obstet, quò minus affirmemus, cùm genus, tùm etiam hasce species corpori, subjecto suo, adæquatè competere: considerantur enim bifariam ratione suæ essentiæ simplicis; *ac* ratione eâ quâ corpus naturale afficiunt ac quale denominant.

Priori modò Qualitas naturalis innuit conceptum, his speciebus, generaliorem, species verò strictiores.

Posteriori autem ratione, nempe afficiendi corpus, æquè latè patent, seu adæquatè concurrunt, corpusq; in genere tanquam Qualitatis naturalis species tàm afficiunt, quàm genus, cui essentialiter subsunt, ut ita, quod specialiores sint, Qualitate naturali in genere spectata, hoc habeant per diversitatem essentiæ; non quasi singulæ singulas tantùm species corporis naturalis naturaliter quales

les denominent, ac proinde corpori in parte generica physicæ tribui nequeant: *quia uti omne corpus qualibet earum prædi-tum est: ita corpori in adæquato physicæ con-ceptu qualibet meritò deputatur. Et quamvis de corpore naturali agentes dub. 4. p. 24. sta-tuerimus, omnem conceptum in parte scien-tiæ generali genere illius scientiæ destitui; hoc tamē non simpliciter ita accipiendum est*, quasi nullo respectu res in illa parte possit specialior esse; unde suô genere inibi gaudeat; *quippe quod contra præsentem sententiam, quà, dum statuimus qualitatum species quas pars communis sibi vendicat, nec minus genus ad eandem pertinens; conceptum admittimus, qui certâ ratione per genus, in parte illa do-mesticum, definitur. Sufficit, quòd conceptus, vel* prout objectum; vel causa; vel affectio est; parte generali adæquatè substratus, & in specificis partis specialis determina-bilis, *eô modô & respectu proprium genus in illa parte non agnoscat. Simile datur in do-ctrina Quantitatis, ubi videmus Quantita-tem naturalē in lineam, superficiem, & corpus dispesci, ita, ut coceptus Quantitatis natura-lis respectu harum triumgenericus sit, illis spe-cificis; nec tamen existimari debet, quasi linea, superficies & corpus respectu objecti physicæ non tàm latè pateant: quam notio Quantita-tis naturalis, ab his speciebus præcisa: nullum*

enim corpus datur, quod vel alterutrâ vel qualibet in specie destitutum sit.

Hoc ipsum potius inter alia judicium est, quod, sicuti Quantitas: ita etiam Qualitas hoc loco non nudus corporis naturalis modus sit, *sed* entitate præterea absolutâ *gaudeat, quæ non tantùm* ad distinctionem corporis, *sed etiam* aliter (scil. juxta indigitatas species) *dividatur, utut corpus generale, & in species nondum distinctum sit, prout scil. in statu adæquati objecti suis speciebus opponitur.*

Dubium 2. Quid verò opus est tres species Qualitati naturali in Physicis substernere, cùm tutò affirmari posset, has species immediatè esse sub genere Qualitatis, sub qua alibi, quàm in Phycis perpendēda, habitus est: præsertim cùm communis Philosophorum vox sit, quatuor Qualitatum species, Qualitatem in genere ἀμέσως distinguere, innuentium scil. non dari genus intermediū (Qualitatem naturaliter insitā) quô mediante hæ Qualitatē, ad se ipsas & habitum indifferentem, respiciant?

Resp. Non certè negandum est dari binos conceptus genericos, sub quibus hæ qualitatum species ad διχοτομίαν *revocari debent: nam*

nam immediatè vel acquisita; vel naturalis est Potentia verò naturalis, patibilis qualitas, & figura alterum illius membrum dividunt: quia scil. communiter naturales sunt, & corpus naturaliter quale denominant, factum est Qualitatem naturalem triplicē esse, hasq; species Qualitatem in genere non immediatè: *sed* mediatè *respicere, quemadmodum Fonseca, Suarez, Zabarella &c. non aliter qualitatum species colligunt. Quod si igitur Qualitas naturalis in genere, & hæc triplex istius species, corpus naturaliter & adæquatè afficiunt: meritò in parte generali easdem simul pertractasse interest, ne omittatur, quod corpori per naturam adæquatè convenit.*

Ut præterea contigerit διχοτομίαν illam à quibusdam intermissam fuisse, conjectura erit, quâ eosdem pingui Minervâ Qualitatum species tradidisse existimandum est.

Dubium 3. Ambiguum est utrum potius de Qualitate in doctrina de causa efficiente agendum sit; an verò hac vice sub titulo affectionum: si Qualitas est causa instrumentalis, utique ad efficientis doctrinam pertinebit atque ita hæc tractatio vel nulla; vel secundaria erit: sin minus: cur assertum est naturam per eandem efficacem esse?

Resp. Breviter: pro diverso considerandi respectu ad efficientem *spectat: quia; licet actiones suppositorum sint, utpote* principaliter agentium, *efficacia Qualitatibus* tanquã actus minus principaliter exercentibus, *ascribi debet, uti suprà innuimus. Nec verò desinit hoc loco* sub ratione affectionis *attendi: utpote qualis prius est, quàm ut naturæ causa instrumentalis sit: illud enim habet* quamprimum existit; hoc, quà in existendo vim seu actum causandi à substantiali causa sortitur.

Obiter autem nota, quod Qualitas præ Quantitate actus instrumentaliter exerceat: quia nulla forma id, in quod agit immediatè, sed per qualitatem attingit, quantitas autem à materia fluit, atque ideò accidens passivum, non activum est, ut suprà vidimus.

Dubium 4. In quonam consistat ratio qualitatis: si enim dixeris ipsam in intensione consistere, quemadmodũ Quantitas collocabatur in extensione, seu in eo, quô hæc corpus distendit: ratio eidem assignabitur, quę non convenit omni speciei: nam figura, itemque potentia naturalis nõ intenditur: sin statuetur, reddere corpus efficax, seu sensus movere, esse de ratio-

ne.

neQualitatis, objici poterit, quòd illud potentiæ naturali; hoc patibili qualitati conveniat; non verò Qualitati naturali in genere. Nec porrò hæc ratio Qualitati adæquatè competit, quà substantiæ creatæ complementum perfectionis in existendo & agendo sit: quia hæc communis est aliis, præter Qualitatem, accidentibus?

Resp. Ardua sanè res est, quid de formali Qualitas Physica importet, accuratè exprimere, quod vel ex diversissimis Philosophorum definitionibus, elucescit. Nos collatis inter se Autorū sententiis, dicimus rationem naturalis Qualitatis esse, corpus naturale formaliter intensum reddere.

Hanc rationem ita explicamus: terminus Formaliter non sumitur in eo significatu, quò formæ substantiali convenit, *quippe quæ corpus dicitur formaliter constituere: aliàs Qualitas esset substantia. Item esset forma corporis, primam essentiam seu perfectionem ingrediens, quod falsum; verùm,* prout est adverbium accidentis, à forma peculiariter promanantis, & instar formæ cujusdam corpꝰ limitatius actuq; existendi perfectius reddentis: *utpote, quod qualitatis rationem à ratione quantitatis, quæ sequitur in-*

dolem materiæ, diversam arguit, dum ipsa (qualitas) ingenium formæ, à qua primariò profluit, habet. Dicas hunc modum etiam competere aliis accidentibus, quia respectu subjecti omnia formæ, seu determinationes accidentales sunt? Resp. Si forma accidentalis in latissima significatione, *accipiatur, concedo omnia accidentia formæ accidentalis nomine venire posse, prout suum subjectum accidentaliter determinant. Sufficit autem quod hoc nomen* præcipuè *qualitati conveniat: nam sicut reliqua accidentia, seu modi (v.gr. Quantitas, Actio &c.) à qualitate vel tanquam materialia determinantur, (sic quantitas à figura determinatur) vel tanquàm à causa accidentaliter perficiente proficiscuntur: ita hæc (qualitas) principium accidentaliter activum* in significatione magis genuina est. *Quod porrò attinet terminum, intensum, circa illum tria occurrunt:* id quod intendit: *deinde* intensio: *&* quod intenditur.

Primum est essentia formæ, *seu Qualitatis naturalis, quippe quæ, in eo collocatur, quod nata sit subjectũ suum intendere: alterum est modus seu ratio, quæ bifariam consideratur:* activè, *&* passivè, prout scil. ab intendente promanat, & quà ab intensibili recipitur. *Posteriori consideratione corpus naturale passivè intensum arguit, non tamen* essentialiter:

liter; *alias substantia susciperet magis & minus, sed* accidentaliter, *quemadmodum id, quod intendit, nihil, præter accidens & modus est. Priori verò exprimitur ratio, in qua qualitas, tanquam peculiaris corporis affectio, consistit, atq; ita in subjecto formaliter intensiva est. Dico* intensiva; *non* intensibilis; *ne existimetur, me illam velle ex se intensibilem esse in gradus, quæ ratio accuratè loquendo, non convenit qualitati* ex se & in debita perfectione constitutæ, *sed* ex accidenti & ratione subjecti, cui, dum non perfectissimè inexistit, ita convenit, ut gradibus essentiæ divisibilis perfici & intendi queat. *Item non* omni *competit qualitati, uti rectè in dubio dictum fuit.*

Intensiva ergò dicitur, dum actualem corporis naturalis essentiam formaliter (modô accidentali) & ultimâ perfectione intensã reddit. Quid? quòd omnis naturę causalitas quę extra corpus aliorsum dirigitur, per qualitatem sese exerat & diffundat. *Hinc est cur de eadem non incongruè dicatur (licet in specie, ceu ratio dubii probat) quòd per ipsa corpus naturaliter efficax sit, seu sensus moveat.*

Et quod ultimam attinet rationem, in dubio Qualitati naturali denegatam: coincidet cum nostra ratione, si complementum perfectionis non absolutê & generaliter, *sed* determinatê & specialiter pro comple-

mento perfectionis accidentalis formali *accipitur, id quod subinfert vox existendi & agendi, quippe quæ* non tàm materiæ & accidentibus materialibus; quàm formæ & formalibus *assignandæ veniunt.*

Dubium 5. Quomodo potentia naturalis certam Qualitatis speciem cõstituere possit, cùm tamen vel attributum agentis, vel materiæ sit, vel si neutrius, præter modum Metaphysicum quo Ens determinatur, esse videatur?

Resp. Non sumitur potentia naturalis pro modo seu causalitate agentis: *aliàs ratio dubij procederet, quippe hæc non est accidentis hujus loci, sed agentis modus, seu causalis ratio. Nec idem est,* quod potentia materiæ substantialis: *quippe quæ soli materiæ convenit, deq; qua in doctrina de materia egimus, tanquam de attributo illius, quô à forma perfici potest. Et si hæc potentia sit potentia hujus loci, adeoq; qualitas naturalis, tunc non immediatè materia cum forma coalesceret, quod falsum esse ex accidentibus patuit. Item potentia naturalis non esset partim activa partim passiva, quod itidem absurdum.*

Nec præterea transcendentalem intelligimus potentiam: *hæc enim corpori naturali, non* ut objectum, accidentibus proprijs vestitum *est, convenit; sed* quà est Ens: *estq; ut rectè*

rectè infert dubium, nudus modus, quod fieri nòn posset si hujus loci Qualitas esset.

Restat, ut dicamus potentiam esse Qualitatem quandam naturalem, qua mediante, corpus naturale efficax est. *Dices: hoc non sufficere: quià idem per eandem quoq; natum est pati? Resp. potentiam naturalem passivā etiam esse* prout scil. actui alicui abest, *non inficiamur: interim, quia cum activa potentia passiva* re eadem est, & duntaxat formaliter, sed habitudine diversa, *eadem quoq; per vocem efficax exprimitur.*

Dubium 6. Ergonè corpus per potentiā naturalem efficax est, utut hæc accidens istius sit, quod potiùs à corpore habet, quicquid est, quàm ut ipsi efficaciam quandam conferat: utut præterea hoc naturæ debeatur, quippe quæ causa efficiens interna est, vel formæ substantiali, quæ actu formali corpus ingreditur?

Resp. Corpus efficax dicitur potentiâ naturali, non essentialiter & intrinsecè, *vel nôn tanquam* efficaciam primùm conferente; *quippe quod naturæ meritò (non verò accidenti) assignandum venit, tanquam substantiali magisq; interiori causa corporis: Verùtamen* accidentaliter seu tanquam ad effica-

ciam

ciam naturæ conducente: *quoniam naturæ causalem rationem seu influxum suum, in exteriorem effectum seu obiectum directum, per vim seu potentiam naturalem elicit & exercet. Sic natura animalis actum sentiendi per vim seu potentiam animalem, sensitivam exercet. Idem de similibus judicandum. Formam autem quod concernit, illa per potentiam naturalem; seu, mediante hac, actum elicit, non* quà talis: *ita enim corpus immediatè constituit & materiam restringit, ut superius de Forma observare erat; Verùm* prout cum materia exercet causalitatem Naturæ: *Nã, quia Naturæ conceptum ingreditur, congruum est eidem inadæquatè & ex parte tribui, quod naturæ adæquatè & in totum convenit, cujusmodi est, quando statuitur Naturam per qualitatem naturalem, quæ vocatur δύναμις φυσικὴ, operari, seu efficacem esse.*

Dubium 7. Quid sentiendum sit de patibili qualitate: offert enim sese triplex difficultas; quâ scil. Ens videtur esse non reale, sed saltem intentionale; vel, si Ens sit, idem esse, quod potentia naturalis est; vel quicquid sit, adæquata non esse, dum non omni corpori convenit, v. gr. cœlo, quod non afficit patibili qualitate sensus nostros?

Resp.

Resp. Qualitas afficiens non ideò dicitur ens intentionale, quasi, sit vel nō ens, vel purum ens, rationis; *etenim quod non sit non ens patet, quia afficit: & quidē sensibiliter, quodq́; non sit ens rationis etiam vel ex eo cōstat, quia* resultat ex re naturali; *non verò* ab intellectu seu ratione effectivè dependet, *sicut entia rationis sese habent. Ideò a. Qualitas afficiens, seu intentionalis vocatur, quia contingit, eandē incurrere sensus, licet ei* hoc ipsum extrinsecum & accidentale sit, *Est igitur Ens reale, quemadmodū sub genere qualitatis naturalis (quæ ens est) certam speciem constituit. Deinde negandū venit, ipsam idem cum potentia naturali esse: nam naturalis potentia abstrusior & intimius naturæ principiis cōjunctior est, nec se exterius promit ac manifestat, at patibilis qualitas, quia non adeò arctà seu immediatâ necessitudine cum substātialibus caussis vincitur, hinc fit ut exterius & quasi liberius sese efferat; exempli locō sunt lux in stella, sonus in aere, &c. quæ per maxima intervalla à corporibus suis eo usq; sese diffundunt ac pertingunt, quo potentia naturalis nunquam tendit.*

De cœlo quidem si loquamur, dicendum, nec ipsum patibili qualitate destitutum esse: quia v. g. perspicuum est, quamvis ex parte imbecillitatis nostræ *contingat, ejusdē qualitates patibiles minus perceptibiles esse. Item quamvis ex se etiam* adeò subtiles *sint, ut deprehen-*

videtur enim ipsis peculiariter contraria convenire?

Resp. Utiq; nam defectus Qualitatis nihil est, quàm oppositum hujus privativum: quemadmodum in specie v.g. tenebras luci privativè opponi deprehendimus. De contraria autē oppositione observari licet, quòd posito hanc Qualitatibus peculiariter competere, *non statim* de iisdem alia oppositorum genera neganda *veniant: una n. eademq; res diversis oppositis gaudere valet pro diverso respectu, atq; modo cōsiderandi: sicut suprà diximus do corpore utpote cui non ens negativum modo oppositionis cōtradictoriô opponitur, prout sub ratione entis spectatur, quanquā hac vice (in Physicis) privativâ etiam gaudeat.*

Sed præterea sciendum est oppositionem cōtrariam non omni *Qualitatis speciei competere, sicut Philosophi exempli locô adducere solent figuram & potentiam naturalem. Inde concludendum est, eam Qualitati naturali in genere nequaquam tribui posse.*

Dubium 10. Quid tenendum sit de ijs Qualitatum naturalium speciebus, quæ hactenus consideratis associari solent, uti sunt: naturalis impotentia, passio & forma, quarum ista potentiæ, illa patibili qualitati, hæcq; figuræ apponi-

ponitur, an scilicet species Quantitatis naturalis positivæ sint, an verò ad eam tanquam opposita pertineant: prius n. esse nequit: quia semper imperfectionem quãdam illius, cui adduntur, speciei important; hoc autem videtur contra communem Philosophorum sententiam esse: item contra rationẽ: quia, licet imperfectionem aliquâlem inferant, nihilominus entia positiva sunt, quod de privatione dici nequit? *Resp. Quod attinet ad naturalem impotentiã: illa pertinet ad potentiã* tanquam privatio: *dicit enim hujus negationem: Passio a. propriè & accuratè loquendo* qualitas naturalis nequaquam est: *quia uti definiri solet; est* brevi transiens, *quod de propria affectione dici nõ valet. Quatenus v. spectetur* prout defectum patibilis qualitatis includit, *hujus oppositum erit, quod tamen potius* negativò privationis *termino gaudet, quàm* passionis positivô. *Adde etiam quòd passio non tantùm* naturalis qualitas non sit, *sed quòd* protinus nulla sit, *quia non est res permanens &c. Quod deniq; formam attinet (accidentalem) vel* prorsum recurrunt, *vel* parùm, nempè accidentali quodam discrimine, differunt.

Dubia

DUBIA
De
MOTU.

Dubium 1. An motus ſit corporis affectio, & quidem adæquatè eidem conveniens: negativæ favent, inter alia, rationes ſequentes: ſiquidem non inexiſtit corpori, quia ipſius partes non ſimul ſunt. Deinde per diverſa entium genera vagatur, nec ad certam rerum claſſem ordinari valet: pertinet enim ad Subſtantiam, ad Quantitatem, Qualitatem &c. Immò corpori, quacunque etiam ratione exiſtat, æquè omni, ac ſoli non convenit, ſic cœlum non movetur, itemq; terra; interim quò minus ſoli corpori tribui queat, eſt, quia vel primo Motori competit, qui tamē corpore & molis eſt expers, adde Intelligentias, quę, dum non ſunt ubique, nec uni alicui ubi affixæ, quod planum, moveri dicantur, oportet, & licet hoc inficias eas, propterea, quia ſpiritus ſunt: motus tamen ipſis

ad minimum conveniet, quà corporibus motis adsistunt?

Resp. Adeò certum est, motum in rebus naturalibus dari, corporiq; adæquatè attribui, ut, si hunc cum Zenone negaverimus oppidò, quid Natura sit, ignoraverimus: eò, quòd in ipsô Naturæ ratio causalis absolvatur: nam quam illi partim actionem, partim passionem attribuimus, nihil præter motum est, at verò extra dubium ponitur, actionem & passionem naturæ corpori per se & ab interno tanquam essentiale consequens quoddam competere: ergò & motus corpori ita competit, id quod propriam illius affectionem involvit. Plura non adducimus: quia vel ipse solus cujuslibet Physicæ cognitionis magister est.

Interim rationes dubitandi nihil efficiunt: nam quod attinet modum inexistendi, distinguendum est inter accidens permanens; & succesivum: *Ad illius quidem existentiam perfectam, necesse est partes simul existere: non verò ad hujus: nam in eo quò partes ipsius non simul sunt, ab illo diversum quid, adeoq; ens successivum est.*

Adde, quod motus non habeat partes propriè loquendo, *cùm formaliter nihil sit quàm tendentia quædam successiva, ut infrà patebit: non ergò operæ pretium erat, tales, si motus detur, in corpore existere.* Ne

Nec porrò obſtat, quòd motum per diverſa entium genera vagari dictum ſit: nam motus conſiderari poteſt bifariam: generaliter & præcisè, *ac* ſpecialiter. *Priori modo ad diverſa accidentia, ſcil. ad Quantitatem, Qualitatem, Actionem & Paſſionem reduci valet: atq; ſic tantùm obtinetur, quod* certæ categoriæ nō ſit incluſus, *nō obſtante,* quòd ſit, corporiq; ut affectio competere poſſit. *Sin autem intelligatur ſpecialiter, prout ſcil. eſt vel ad Quantitatem, vel ad cæterorum alterutrum accidens determinatus, tunc idem cum eodem evadit, atque hoc modò negatur, quod diverſa entia pervagetur, quô modô tamen non eſt præciſa hujus loci affectio.*

Deinde quod ad cælum & globum terræ ſpectat, hac vice non diſputabimus, utrùm hic; vel ille motus iisdem aſsignandus ſit: *hæc enim ad partem Phyſicæ ſpecificam pertinent: interim pro diſcutienda dubitandi ratione,* aſſerere non dubitamus, quin omni mobilitate motuq; deſtituta ſint: *alterationis enim motus utriq; convenit, & quidem cælo, dum v. gr. lucem ſolarem recipit; ac terræ, dum contrariam qualitatem patitur: Ergò utriq; motus debetur (multò magis mobilitas, quæ illô poſitô præſupponitur) quia à ſpecie (motus ſcil. qualis alteratio eſt) ad genus (motum) valet conſequentia.*

Quamvis praterea Deus, juxta ordinatam potentiam ad res naturales concurrendi spectatus, primus rerum Motor dicatur; hoc tamen fit non ideò quasi Motus ipsi conveniat subjectivè seu inhæsivè: *Nam motus non est in movente seu termino à quo: aliàs causa efficiens esset materialis causa sua actionis: sed est in corpore quod movetur: Primus autem Motor dicitur:* quia est causa efficiens motus& mobilis: *quia n. corporis naturalis prima causa est, ut supra vidimus, fieri nequit, quin naturalium quoq; consequentium causa fuerit, è quorum genere motus. Summatim igitur motus rei mobilis est* παθητικῶς & subjectivè; *moventis seu primi motoris* ἐνεργητικῶς seu effectivè. *Hinc sufficit si motus de causa prima negatur,* prout est affectio soli corpori ascribenda, *utut* tanquam effectus *eidem assignari valeat.*

Mentes deniq; seu Intelligentias quod spectat, non moventur motu corporis successivô: *quia non sunt quanta, ob quam in corpore dantur partes extra partes, qua resistentiam causant, quare res successivè aliquò tendit: verùm* momentanea novi ubi designatione, *quæ successiva progressio seu tendentia nequaquam dici meretur. Et licet assumtis corporibus moveri videantur: non tamen est, cur ipsis motum* tanquam propriam affectionem

nem *ascribamus: Quia enim corporum assumptio non fit* per informationem; *sunt enim substantiæ spirituales completæ; sed* per conjunctionem motoris cum re mota: *sunt namq; formæ hujus assistentes, dicendum motum ipsis convenire* tanquam moventibus, *non verò* ut subjectis, *quemadmodum suprà de primo Motore locuti sumus.*

Dubium 2. Passim disquiritur de motus essentia, nec satis constat, quidnam genericè & definitivè sit: nam si dixerimus ipsum esse actum juxta definitionem Philosophi, objici poterit, partim, quòd hic non sit genus: quia motus res successiva; actus verò permanens est: consistit enim hic in essentia quadam indivisiblli, estq; perfectio illius rei, cujus est; partim, quòd non sit proximum, si vel maximè generaliter de Motu dicatur: siquidem è generali Metaphysicæ parte desumitur, dum in ejusdem parte speciali cõceptum se inferiorem ac specialiorem agnoscit, antequam in Physicis per motum, terminum longè remotiorem, ulterius limitetur; partim quòd

cum forma Physica sub eodem genere sit: quia & illa per actum definitur, quod tamen statui non potest: quoniam motus est ens successivum, uti modò dictum, forma verò substantia permanens. Sin verò statuerimus naturam genericam ipsius clarius & accuratius exprimi, si definiatur vel actio; vel passio; vel utraque; vel progressio; vel etiam acquisitio &c. longè pluribus difficultatibus res erit exposita: nam positô, ipsum harum alterutram esse, concedendum erit, eundem non esse corporis naturalis affectionem: nam quicquid est medium, quô mediante, affectio corporis acquiritur, id non est affectio, sed affectionis: atqui beneficiô, vel actionis, vel passiónis, vel acquisitionis &c. affectio corporis acquiritur: ergô non est, cur motum dicamus affectionem si vel actio; vel passio &c. sit, & rursum cur asseramus, illum talium quandam esse, si ad numerum attributorum corporis pertineat. Adde, quod hæ notiones

certum

certum entium Categoricorum genus constituant, quod de motu affirmari nequit; uti suprà patuit?

Resp. Actus intelligitur bifariam: Metaphysicè, prout constituit cum potentia, quam perficit, modum Entis disjunctivum: & Physicè pro actu naturali, qui dirigitur in terminum, perfectioni corporis accidentali debitum.

Non in priori, sed posteriori significatione intelligitur, si motus definitionem ingreditur. Quod a. attinet dubitandi rationes, sit, illum (actum Metaphysicum) vel ens permanens, vel entis permanentis modũ transcendentalẽ esse: tale tamen nequaquã est actus in acceptione, quà describit essentiam motus: sumitur enim terminus actus si, ut dictum est, physicè intelligitur, pro attributo, quod est in perfectione inchôata semperq; conjuncta cùm potentia quadam, quæ terminô quem respicit perfici nata est: hinc motus, quatenus inexistit corpori, in continua tendentia est, ut ad terminum illum perveniatur. Atq; ita videmus actum hujus loci non desumi immediatè ex generica primæ Philosophiæ parte, *sed, concessô, quòd ex disciplina illa petitus sit, quoniam definit conceptum physicè generalem,* è speciali, *in qua ad ens naturale seu corpus,*

ejusdemq; naturales proprietates restringitur, quô pactô nempe actum Metaphysicum partis generalis tanquam superiorem & motum, h. l. tanquam inferiorem conceptum immediatè respicit. Negari etiam potest actum Metaphysicū prout transcendèntalem Entis affectionem innuit, esse ens permanens, est enim indifferens ex se cùm ad permanens, tùm ad successivum; permanens, scil. est prout permanentis modus evadit, & successivus, prout successivi.

Deinde sub eodem cum forma physica genere non propinquo; *sed* longè remotissimo, *eôque non* propriè & univocè tali; *sed* analogo *est, nempe sub actû, de quo modò diximus, Metaphysico, qui postmodum in substantialem & accidentalem distinguitur, sub quorum illo forma, sub hoc actus, qui essentiam motus declarat. Inde potius dicendum hunc genere à forma substantiali diversum esse.*

Quod si igitur Motus definietur per actum, in declarata significatione acceptum, non adeò inconvenienter generica ejusdem essentia exprimetur. & quia porrò actio & passio; quoad rem, *unum ac idem sunt, atque* non, nisi applicatione *distinguuntur, interim ambæ anus in re naturali motus sunt: etenim passio (quæ cum actione re eadem) est actus passi, quatenus passum est, id quod etiam motus dicit: utiq; utraq; naturam ipsius genericam itidem*

dem exprimit, ita tamen, ut aptius, quod & actio & passio dicitur duabus, actus hujus loci dicatur una voce.

Progressio denique vel etiam acquisitio non minus propriè, quàm ut actus dicebatur, definiri potest: quia hæc vocabula hac vice idem, quod vel actus; vel actio & passio erat, significant. Progressio tamen meô quidem judiciô propriè si accipiatur, potius motus physici speciem, nempe motum localem, *arguit, quàm* motum in genere. *Acquisitionis autem vel tendentiæ vocabulũ similiter, quod actus, stans locô generis in motus definitione, significat, notanter exprimit: nam juxta motum movens dicitur mobili terminum acquirere, ad quem erat impotentia, ut infra patebit. Sive igitur genus motus Physici exprimatur per actum; sive per actionem & passionem; sive per acquisitionem* ferè idem *erit:* clarius *tamen & accuratius per acquisitionem idem innui arbitramur, ideò, quia actus motum non immediatè respicit, nisi patiatur amplitudinis suæ transcendentalis multiplicem restrictionem, ceu in antecedentibus diximus, id quod in significationibus nonnihil obscuritatis parit, non secus, ac si hominem v. gr. definirem; homo est mixtum rationale, vocem mixti, quæ in latitudine sua, hominem non immediatè; sed mediante animatô, & anima-*

li respicit, in significatione restricta sumens, utpotè quo ipso genus proximum, quod est animal, dissimularetur & coram intellectu obscuraretur, quod fieri non debet. Hoc verò de acquisitione dici nequit: nam terminus acquisitionis vi significandi non est transcendentalis; *sed* prædicamentalis: *est ergò genus Aristotelicum* synecdochicum (*sumptò genere pro specie*) *acquisitio autem* magis genuinum: *illudq; excusandum & tolerandum; hoc præferendum.*

Restat, removeamus quod in dubio visum fuit obstitisse, quò minus motus per acquisitionem, seu actionem passionemq; declarari possit, consideratur scilicet acquisitio seu actio & passio, in corpore Physico dupliciter: respectu termini, cujus talis est; & ratione subjecti cui per necessitatem inest, tanquam proprium accidens.

Priori consideratione acquisitio, & consequenter motus rei naturalis, qui talis est, medium, concedo, dici potest, quò mediante affectio corporis una atque altera comparatur, sic per motum alterationis affectio qualitatis per augumentationis quantitatis, obtinetur, atq; hoc respectu argumentum procedit, concludens motum juxta hanc considerationem officio affectionis nondum fungi: negamus autem minorem, si motus adeoq; acquisitio in

sensu

sensu & respectu posteriori perpenduntur: quia enim ex natura rei acquisitio illa profluit, corporiq; per se & necessariò inest & adæquatè, & eidem convenit, nō est, cur negemus, eandem motus nomine peculiarem corporis naturalis passionem seu affectionem dici debere.

Deniq; negatur, quod actio & passio in sensu copulativo *in quo unus motus sunt, certum entis genus constituant: faciunt enim duo summa genera, uti ex doctrina Categoriarum notum est, & prout ratione terminorum attenduntur, modò ad quantitatem, modò ad qualitatem referuntur. Idem judicari debet de acquisitione.*

Dubium 3. Quod si Motus corporis affectio sit, consistens in acquisitione quadam, dubium oritur de prioritate, quæ videtur huic potiùs quàm Quantitati ac Qualitati, quâ hæ aliàs prius tractantur, ascribenda: quia Quantitas & Qualitas est terminus motus, qui eô, quod in se tendit, posterior, quemadmodū videl. locum, dum terminus motus localis est, motui postponimus. Hoc a. positô, falsum erit motum esse actionem seu acquisitionē: quia notū est hanc esse accidens secundarium, quale

quale non posset esse motus, si Quantitate & Qualitate prior judicetur?

Resp. Motus sanè sive consideretur ratione suæ essentiæ, *sive respectû* subjecti *cui inest, sive ratione* Quantitatis ac Qualitatis, *quas tanquam terminos, uti mox indigitabimus, respicit, his ipsis (Quantitate ac Qualitate) prior nequaquam est: nam* quoad essentiam *est incompletum & indeterminatum quid, includens potentiam adventu termini perfectibilem: immò, uti modò in dubio dictum, accidens secundarium, quod penè non tàm ens quàm modus entis, quo se hocipsum habet in fieri respectu moventis & mobilis. Dependet præterea à termino ad quem (qui vel Quantitas, vel Qualitas; vel Locus est) utpote à quo cùm unitatem, tùm differentiam accipit. Quod autem Quantitatem spectat, in hoc passu præ eo accidentia primaria sunt, atque ita per essentiam priora sunt, ceu alibi, ubi de rebus prædicamentalibus agitur, pluribus docetur. Porrò* respectu subjecti *si consideratur, huic itidē non tàm primariò inest, quàm Quantitas & Qualitas: nam si accidens primarium non est, utiq; etiam primariò subjecto suo non inerit, quòd planum. Item subjectum motu tantummodò opus habet ad ulteriorem actus accidentalis perfectionem. Quare iterum motus Quantitate ac Qualitate posterior erit.* *Quando*

Quando deniq; spectatur ratione Quantitatis & Qual. quales respicit tanquam terminos, *dicendum has* (*Quantitatem & Qualitatem*) *considerari bifariam:* quoad esse simplex; & ratione ulterioris perfectionis, *illi per partes extra partes, seu extensionem; huic per gradus; sive intensionem debitæ. Secundum priorem considerationem non sunt* termini *ad quos motus tendit, sed* motus origo seu causa instrumentalis, quâ motus â natura suscipitur: *insunt enim per mutationem instantaneam seu productionem, quâ corpus etiam cum suis affectionibus primitus productum, seu creatum est; sic ergò tertiâ vice motus hisce posterior est. Quod denique spectat ulteriorem harum affectionum perfectionem: fit, motum ipsam acquirere, & corpori conferre, sufficit tamen quòd Quantitate & Qualitate, quoad esse absolutum, consideratis, posterior sit ac proinde illis non immeritò postponatur.*

Alia autem ratio obtinet, si de loco sermo erit: quod enim ille, tanquam terminus motus, post considerationem hujus attendatur, fit propterea, quia, Quantitate & Qualitate affectionibus intrinsecè subjectum afficientibus, ipse affectio illis & motu exterior est, uti infrà patebit.

Dubium 4. Ergone Motus, uti assertum fuit, cum actione & passione prorsum idem est, non obstante, quòd ita duo summa genera constitueret, adeoque unus dici non possit?

Resp. Idem dicitur duplici modô: quoad rem & rationem: *Motus cum actione & passione idem est quoad rem, quemadmodum & ipsæ, quâ hanc ipsam nondum diversæ sunt: Non enim concipi potest motus quin actio & passio concipiatur; & contra: Item motus est tendentia in terminum, sed nihil in hunc tendit præter agens & patiens: quare quô in eundem hæc tendunt, id actio & passio, seu quod idem est, termini acquisitio vel tendentia (quæ motus nuncupatur) dicatur. Rationis tamen diversitatem fovent, prout* juxta aliquam hujus præcisionem, aut abstractionem, *motus seorsim attendi potest, non attendendo* dependentiam illam, quâ ab aliquo principio promanat, *utpote secundum quam, intelligitur esse actio, nec* quâ subjectum in quo recipitur, afficit, *juxta qualem passio dicitur, sed* saltem fluxum, prout est via ad terminum, *atque sic per habitudinem ad terminum ab actione & passione, quorum hæc subjectum; illa principium, unde fluit, respicit, à quibus nempè nomen & diversitatem sui sortitur.* Dubi-

Dubium 5. Non deest dubitandi ratio, quâ existimandum videtur Motum non tàm acquisitionem, quàm quantitatem esse: Quia scilicet Motus via seù tendentia quædam in terminum est; & verò hæc cum ratione quantitatis, quæ in extensione collocatur, recurrit: Item quia Philosophus motum inter Quanta recenset, adeoque ad Quantitatis categoriam pertinere censet: quibus locum obtinentibus, actum erit de omnibus antecedentium dubiorum decisionibus, quibus motum distinctam affectionem corporis naturalis, & quidem eam, quæ per se in nulla categoria ponitur, esse assertum fuit?

Resp. Superius allata tantisper invicta manent, quantisper rationes, hisce & illis firmiores, desunt, utpote quibus superius dicta evertantur, hæc verò sententia astruatur: nam quòd has, in dubio allegatas, spectat nihil obtinent: siquidem aliud est tendentia; aliud extensio: illa est ad terminum; hæc verò partium extra partes, illa ad Quantitatem & Qualitatem, itemq; ad locum indifferenter sese habet;

habet; hæc autem peculiaris ratio Qualitatis est, uti suprà satis constitit.

Quamvis porrò Philosophus Motum inter species Quantitatis enumeret, hoc tamen non ideò factum fuit, quasi ille Quantitas per se sit; *sed quod* Quantus per denominationem accidentalem dicatur, *dum scilicet cum Quantitate in eodem subjecto coexistit, estq; qui non, nisi suprà magnitudinem fieri deprehenditur. Item quia Quantitatem seu Magnitudinem in specie tanquam terminum respicit, ad cujus Categoriam proinde sese non* directè, *sed* reductivè *habet.*

Quibus stantibus asserimus Motum eodem titulô etiam ad Qualitatem & Ubi spectare: quoniam, & horum accidentium perfectionem tanquam terminum, in specie respicit. Atque sic non per se, *sed* per accidens, seu per denominationem extrinsecam *Quantus, Qualis &c. tanquam ab iis, ad quæ tendit, salvis omnibus, quæ in præcedentibus de natura ipsius generica adduximus, dici meretur, id quod in statu determinationis; non verò in conceptu præcisô & indeterminato, in quo scilicet intellectus beneficiô attendi potest juxta nudam rationem fluxus seu tendentiæ.*

Dubium

Dubium 6. Difficultate, si per acquisitionem motus definiatur, res ideò non caret, quia hoc pactô ratio causalis Naturæ seu causæ efficientis est: utpote quæ in τῷ agere, seu movere collocatur, ceu è doctrina de Natura perspicuum evasit. Item si acquisitio moventis, seu mobilis peculiare corporis attributum definiat, peculiare etiam acquisitio seu actio creantis cōstituet, quale scil. vocaverimus creationem: est enim par ratio, scil. sicut se habet acquisitio, nempè formæ accidentalis ad moventem ita creatio nimirum formæ & materiæ substantialis ad creantem; vel necesse erit creationem acquisitioni, adeoque motui hujus loci includi, seu tanquam speciem substerni; quod contra omnes Philosophos ipsamq; veritatem, dum certum est, creationem non esse motum, quia non est actus alicujus subjecti, seu non dicit habitudinem ad subjectum, quod per eam moveatur: nam moveri & mutari propriè id dicitur, quod seha-

bet aliter, quàm prius; at in prima mundi molitione nihil præceſſit ergò nec hæc cujusdem ſubjecti motus eſſe poteſt.

Reſp. Breviter : *acquiſitio* prout fluit ab agente ſeu Natura, uti dictum eſt, ratio hujus utique eſt, (*non tamen* interna, *ſed* externa) *atque ſic meritò ad Naturæ doctrinam pertinet*. Prout verò ab hoc reſpectu & dependentia præſcindit & ſpectatur ratione ſubjecti, quod afficit, rationeq; fluxus in terminum, à quo ſpeciem ſumit, *hujus loci affectio diſtincta evadit*, *seu pluribus in antecedentibus ſignificatum fuit:*

Quod verò creationem attinet diſpar eſt ratio, *ſi* pro prima corporis è nihilo productione ſumitur: *hæc enim non dicit reſpectum ad ſubjectum cujus affectio ſit*, *nec aliquid diſtincti in DEO ponit*, *adde*, *quod conceptus ſit non* corpori *tantùm*, *utpote quô hoc productum*, *ſed etiam* ſpiritibus *creatis paſſivè communis*, *dum activè* ſpiritui infinito *in Pneumaticis attendendo*, *aſſignatur*: *Hæc & ſimilia ſunt*, *cur nullam affectionem corporis conſtituat*.

Si verò intelligitur pro conſervatione corporis producti & quidem in perfectione accidentali Quantitatis, &c. *idem quod motus dicet*, *hujusq; loci erit*.

Dubium

Dubium 7. In quonam consistat ratio motus formalis, quâ scil. acquisitio, genericus illius conceptus, determinatur: nam si cùm Aristotele dicemus hanc in eo collocari; quòd motus sit entis inpotentia, quà inpotentia, minus accuratè procedemus, tùm quia hic impropriè & satis obscurè; tùm quia insufficienter entis &c. esse dicitur: Impropriè: postquàm enim exprimi debebat subjectū, cujus motus est motus, & quidem propriâ voce, synecdochicô loquendi genere per vocem Entis vix indigitatur: & quāvis respondeatur, Entis vocem sumi non transcendentaliter, prout notat objectum primæ Philosophiæ; sed participaliter scil. prout est participium verbi sum, atque significat existens, scil. mobile: nihilominus impropriè adæquatum motus subjectum notabit, quippe quod (subjectum) longè specialius est, atque est existens seu ens illud. Similiter utrùm per potentiam intelligatur potentia privativa actus,

hujusq; vel substantialis; vel accidentalis; an verò potentia activa, quâ terminus acquiritur, dubium relinquitur: quia nihil determinati his verbis exprimitur; & si intelligatur potentia privativa actus, vel motus, definitio ita explicanda erit: Motus est actus rei reductæ à potentia in actum; vel: Motus est actus entis, prout est in carentia motus, quod contradictionem in adjecto importat: sin autem potentia notet activam, quâ, uti dictum, terminus acquiritur, utique motus erit formaliter Qualitas: quia potentia activa seu motiva agentis (naturæ scil.) in prima Qualitatis specie est; vel si activa illa potentia nihil sit quam actio & alio respectu passio, motus genus se ipsum determinabit; seu sibi ipsi ratio formalis erit: quia, ut supra vidimus, actio & passio nihil est, quàm genus motus: sin deniq; per potentiam intelligatur ea, quà corpus est in potentia ad ulteriorem sui perfectionem seu terminum: inferri poterit, quod nec isthæc potentia

tentia subjecto queat tribui: quia locô illius perfectionis est motus, qui actus est: tunc enim argumentari licet: cui locô ulterioris perfectionis competit actus: illud illius respectu non est in potentia, sed in actu: atqui subjecto locô ulterioris perfectionis scil. accidentalis convenit, actus (motus) Ergò. Insufficienter porrò verba Philosophi rationem motus exprimunt: quia nullam faciunt mentionem termini ad quem, à quo tamen speciem seu rationem motus sortitur; probatur: à termino ad quem motus unitatem accipit; Ergò ab eodem etiam essentiæ rationem: Ut ita, summatim loquendo, Aristotelis definitio verbis, modò examinatis, non dicat, quid motus formaliter sit, sed tantùm cujus sit, id quod ipsi extrinsecum est:

An igitur post habitâ hac ratione formali, restet dicendum successionẽ rationem ipsius exprimere: quod iterũ nondum apparet, dum successio motus proprietas est utpote conveniens

motui non in præciso conceptu ex ſe; ſed prout patitur reſiſtentiam, uti infrà dicetur. Quid? quòd ſucceſſio communis affectio ſit, non tantùm motui, ſed etiam Quantitati ac Tempori conveniens?

Reſp. Idem, quod de actu dicendum venit, de reliquis definitionis Ariſtotelicæ terminis affirmari debet; patiuntur ſcil. reſtrictionem, dum formalis rationis, quæ motui aſſignetur, indolem deſcribunt: etenim, ut rectè dictum eſt in dubio, ὄντος vox nihil ſignificat, quàm corpus naturale, ſeu mobile, atq; ſic in ſenſu reſtricto accipitur, *dum* aliàs latitudinis tranſcendentalis eſt. *Potentia v. itidem non* generaliter; *Sed* ſpecialiter, *& quidem non pro* privativa *illa, ceu in dubio demonſtratum, neq;* pro activa, *quæ in prima ſpecie qualitatis eſt, niſi* materialiter, *dum activa & paſſiva re unum quid ſunt. Neq;* pro actione, *quæ ipſum motus genus eſt, ceu dubium infert; ſed* pro potentia paſſiva Subjecti, juxta quam id motum recipit, ut ita potentia illa neq; ſit actio, neq; paſſio, neq; motus, qui nihil in re, quàm actio & paſſio eſt, ſed harum receptiva; *quod vel inde patet, quia dicitur eſſe entis (ſubjecti) quod motui, tanquam affectioni ſuæ, in hac, & per*

ban

hanc opponitur. Quod verò concernit rationem dubitandi, quâ asseritur, neq; hanc (potentiam passivam) intelligi posse, dum hæc Subjecto non valet convenire, quia id locô hujus motu (actu) præditum est: respondemus eam nihil obtinere: licet n. actu motus gaudeat, *ac proinde respectu illius non sit in potentia (scil. privativa); ejusdem non tamen* hic (actus seu motus) tollet in eodem potentiam illam, in quâ est ad ulteriorem perfectionem actuum seu accidentium ab actu motus aliorum, *quin potius motus subjectum ad actum; vel accidens perfectius acquirendum quasi ordinat, ejusq; ad illum terminum consequendum via est, quod ipsum in quantùm fieri debet, in tantùm subjectum in ejusmodi potentia sit, oportet, ut motus hac ratione potentiam subjecti ad terminum acquirendum* potius requirat, *quàm* ut eandem, *prout actus quidam est*, tollat.

Deinde etsi non explicitè *mentionem termini faciat; innuit tamen illum* implicitè per potentiam: *utpote quæ non nisi respectum ad terminum importat: nam terminus est actus ejus, à quo perficitur, motus a. actus ille, qui eandem ad terminum perficientem ordinat: hinc positâ potentiâ in respectu ad actũ, correlatum etiam, quale actus est, poni & subintelligi necesse est. Hocq; sufficit: quia,*

licet motus ab eodem ſpeciem ſeu rationem ſortiatur, *idem tamen* nō eſt ratio ipſa, *ut proinde operæ pretium ſit ipſum in definitione expreſsè collocari.*

Nec tandem, quod ſummatim obſtare videbatur, quicquam valet: nam motus conſiderari poteſt bifariam: ſecundum eſſe ſimplex, & à reſpectu quem cum ſubjecto fovet præciſum: *deinde* ratione ſubjecti, prout eſt hujus affectio propria. *Priori modô citra mentionem ſubjecti aliter quidem determinari valet, ut mox videbimus: poſteriori tamen non poteſt, niſi collatione cum ſubjecto ſuo: quia tunc terminus reſpectivus eſt, qui non poteſt aliter definiri & determinari, quàm per eum, quem reſpicit: relata n. ſe mutuò definiunt. Hinc non eſt exiſtimandum,* quaſi ratio à ſubjecto deſumpta tantùm dicat cujus ſit motus: *ſed* quia id etiam, cujus ille affectio eſt, rationem affectionis peculiaris largitur & quaſi imprimit. *Quid? quod omnia accidentia ægrè determinari queant niſi in ordine ad ſubjecta ſua, utpote à quibus eſſe ſortiuntur, conſiderentur. Quod ſi igitur verba Ariſtotelica dexterè explicentur, uti modô fecimus, non eſt, quare eadem* è motus definitione prorſum eliminemus, *ita tamen, ut* clarius & magis propriè *dicatur in quonam motus conſiſtat, ſi vocabulis hujus diſci-*

disciplinæ utamur; asserentes motum esse corporis naturalis seu mobilis, vel convenire corpori mobili, quatenus scil: illud ulteriorem proprij cujusdam accidentis v. g. Quantitatis, vel Qualitatis &c. perfectionem recipere natum est.

Alterum erat utrum successio internam motus rationem exhibeat, ubi dicimus, hanc eidem convenienter assignari, prout præcisê spectatur, *ceu præcedentibus indigitavimus: siquidem ejusmodi ratio est, quâ, dum motui revera & per se convenit, ipse ab omni, quicquid motus non est, distinguitur & demonstratur hoc ulterius: negata successione de motu, motus non est motus, sed actio instantanea, neq; subjectum in potentia erit, quia in eodem instanti, quô sit in potentia, prout scil. motu gaudet, terminum consequitur, quod falsum: ergo successio revera & per se motui competit, adeoq;, dum, ut is talis sit speciatim & distinctim, facit, de internâ ratione est. Id quod etiam partim instantanea creatio; partim generatio v. g. confirmant, quæ ideò motus non sunt, dum successione carent.*

Quod interim dubij rationes concernit: negandum venit successionem tantummodò motus proprietatem non verò rationem formalem esse: quia non datur in motu, præter naturam genericam, conceptus prior, qui ratio

ista esse possit, quemadmodum v. g. in Quantitate divisibilitas proprietas erat quia extensione posterior fuit. Negamus etiam majorem hanc: Quod motui convenit prout patitur resistentiam, id ei non convenit, per se, seu intrinsecè: quia n. motus in passione quoq; collocatur, quantum naturam genericam ipsius spectat, ut alibi indigitatum fuit, pati resistentiam ipsi non conveniet per accidens, *sed,* quatenus paſsio quædam eſt, *unde successio, hanc determinans, resultat; non tamen negatô, quòd,* id, à quo patitur reſiſtentiam; ſeu ipſum, quod, ut ſucceſsivè fiat, reſiſtit, nondum de ipſius ratione interna *sit: talis namq; est pars corporis extra partem, per cujus multitudinem virtus motrix non simul & semel transire, seu penetrare valet, ut mox pluribus dicemus; quæ ad corporis substantiam potius spectat, quàm ut essentia motus includatur.*

Nec deniq; existimari debet, quasi successio tam internè & propriè Quantitati, Tempori &c. competat, *quàm* intimè ſeſe habet ad eſſentiam motus: *demonstramus hoc exinde: quia illa, iisdemq; similibus affectionibus debentur & ascribuntur aliæ rationes formales, ceu partim ex antecedentibus de Quantitate liquit, partim ex sequentibus fieri poterit inductio. Quando igitur Quantitas*

tas v.g. & c. attributa corporis propria successiva dicuntur id fieri putandū est per denominationem motus extrinsecā: *dum cum motu necessariò conjuncta sunt, tanquam supra & propter quæ motus; seu successiva acquisitio exoritur; non verò* quòd eorundem omnium; vel alterutrius ratio interna sit, *aliàs rationes formales eæ, quæ iis assignatæ sunt, de iisdem negandæ venirent, quod falsum. Ex hoc incidenter patet, motus essentiam ægrè pati, hanc rationem formalem sibi suæq; Physicæ auferri & quasi capillis cum permanente, ad primam Philosophiam trahi, cujus affectionem disjunctivam constituat; cùm tamen certum sit, nihil successivum esse, nisi hoc à motu habeat, nihilq; motum esse, quod per & ex se successivum non sit.*

Dubium 8. Quomodo motui successio tanquam ratio formalis possit attribui, cùm tamen causa successionis non reperiatur in quovis corpore; quod mobile nihilominus est certoq; motu actuali movetur, sic in corpore simplicissimo, quale præ reliquis cœlum est, nulla datur resistentia, ob quam hòc successivè moveatur. Utpote alteratur sine successione motus, quando

quando illuminatur absq; mora, idq; ideò, quia resistentiâ caret, quippe quæ duntaxat datur, quando corpus impuritate mixtionis virtuti motrici obstat, quò minus terminum consequatur, quod de corpore, mixtionis experte, enunciari nequit?

Resp. Quamvis non omni corpori naturali tàm evidens *motus conveniat*, qui sensibili quadam morâ in terminum tendat, *ceu vel cœlo hoc ipsum largiri possumus: non tamen negari debebat, quodlibet corpus, & consequenter cœlum, ceu quodvis certo motu gaudet*, aliquam resistentiam *includere ob quam motus ipsius* quodammodo scil. per-qualem qualem per morulam, *successivus sit: nam causa resistendi, adeoq; motum successivū arguendi, non tantùm* in mixtionis impuritate; *sed præterea* in partium extra partes positione *deprehenditur; quarum illa est, cur longiori moramento res moveatur, sic in animali resistunt impuritas corporis terrestris & diversarum propensionum partes animæ motrici usq; adeò, ut non nisi tardiori motu animal moveatur, hæc verò ad minimum causa, ob quam motus, qui corpori suo convenit, nondum momentaneus sit. Adde quod resistentia etiam procedat* ex communibus requisitis, ad motum spectantibus, *ut sunt terminus*

minus à quo & ad quem &c. quæ simul esse nequeunt.

Est ergò in cœlesti corpore resistentia ad successionem qualemcunq; causandam; *licet non* ad moram sensibiliter longam, *quippe quæ corpori impuriori, quantò magis ex diversi generis partibus compositum est, tantò evidentius convenit.*

Dubium 9. Quomodo continuitas ad motum spectet, dum proprietas; vel ratio motus non esse potest: quia convenit etiam Quantitati, immò Corpus ipsum & reliquæ affectiones in universum continuitatem sibi vendicant: sic Qualitas continuos gradus, Tempusq; prius & posterius continuum involvit: interim tamen ad motum ita se habet, ut motus non sit, nisi continuus existat: aliàs certè, si scii. per instantia discontinua seu disruptas morulas fieret, ut v. g. in instanti A sit una pars motus quæ immediatè post cesset; postea verò in instanti C alia motus incipiat, mobile inter duo instantia quiesceret, inq; tantum mobile non esset mobile. Item motus esset motus in plurali, quod falsum?

Resp.

omnis de eo affirmabitur unitas, utiq; motus in generali parte considerabitur non tantum generaliter, sed etiam specificè & individualiter, quod inconveniens: sin deniq; generica saltem de eodem intelligatur: intelligetur tantùm extrinsecè, unus scil. per terminum ad quem, quod non sufficiet motum physicè unum dixisse?

Resp. Accuratè loquendo motus h. l. unitate tantùm genericâ unus esse intelligitur: sicuti etiam ex se conceptum genericum importat. Non tamen unitatem genericam in eo sensu intelligimus, in quo ipsam autores sumunt, quando, sicut indigitatum, de triplici motus unitate mentionem faciunt: *nam genericam unitatem eam dicunt, quà motus non satis unus dicitur, sed saltem ex parte v. g. propter terminū unius generis. Specificum verò eam volunt, quà internè unus est, scil. per rationem formalem internam: ac numericam quà præterea subjectivè: qua unitates proinde æquè de motu hujus loci affirmatur, dum ipsum non ad certam motus speciem astringunt; sed motus rationem genericam perfectè unam prædicant. Unitatem interim genericā innuimus*, quæ motuū specialis partis unitatibus specificis & harū individualibus opponitur: *quia motus hac vice conceptus genericus est: hisce in specie & individuo inferioribus.*

Dubium II. An unitas, extrinsecè denominans, tanquam proprietas quædam, motui conveniens, à termino, & quidem ad quem, proficiscatur; an à termino potius à quo; anverò à subjecto; vel an ab omnibus simul: Dices n. eum à termino ad quem esse? obstabit, quòd contingat ad eundem terminum motus longè diversos esse v.g. ad eundem motus circularis, & motus per lineam rectam tendere possunt, qui tamen diversi sunt: negabis? Ergò nihil refert plures, vel unum esse terminum ad quem, ut unus, idemq; motus fiat, sicq; non obstat unum esse motum, dum in quantitatem & qualitatem tendat, quod falsum. Porrò si inficiabimur, ipsam à termino à quo esse; opponi poterit: à quo quid incipit esse, ab eodem etiã dependet unitas: à termino à quo motus incipit esse: Ergò: minori planâ, major vel inde constat: Quia unitas est motus entitatis, quæ non potest respectu illius, à quo essentia depẽdet,

motui non in præciſo conceptu ex ſe; ſed prout patitur reſiſtentiam, uti infrà dicetur. Quid? quòd ſucceſſio communis affectio ſit, non tantùm motui, ſed etiam Quantitati ac Tempori conveniens?

Reſp. Idem, quod de actu dicendum venit, de reliquis definitionis Ariſtotelicæ terminis affirmari debet; patiuntur ſcil. reſtrictionem, dum formalis rationis, quæ motui aſſignetur, indolem deſcribunt: etenim, ut rectè dictum eſt in dubio, ὄντος *vox nihil ſignificat, quàm corpus naturale, ſeu mobile, atq; ſic* in ſenſu reſtricto accipitur, *dum* aliàs latitudinis tranſcendentalis eſt. *Potentia v. itidem non* generaliter; *Sed* ſpecialiter, *& quidem non pro* privativa *illa, ceu in dubio demonſtratum, neq;* pro activa, *quæ in prima ſpecie qualitatis eſt, niſi* materialiter, *dum activa & paſſiva re unum quid ſunt. Neq;* pro actione, *quæ ipſum motus genus eſt, ceu dubium infert; ſed* pro potentia paſſiva Subjecti, juxta quam id motum recipit, ut ita potentia illa neq; ſit actio, neq; paſſio, neq; motus, qui nihil in re, quàm actio & paſſio eſt, ſed harum receptiva; *quod vel inde patet, quia dicitur eſſe entis (ſubjecti) quod motui, tanquam affectioni ſuæ, in hac, & per hanc*

hanc opponitur. Quod verò concernit rationem dubitandi, quâ asseritur, neq; hanc (potentiam passivam) *intelligi posse, dum hæc Subjecto non valet convenire, quia id locô hujus motu (actu) præditum est: respondemus eam nihil obtinere: licet* n. actu motus gaudeat, *ac proinde respectu illius non sit in potentia (scil. privativa) ejusdem; non tamen* hic (actus seu motus) tollet in eodem potentiam illam, in quâ est ad ulteriorem perfectionem actuum seu accidentium ab actu motus aliorum, *quin potius motus subjectum ad actum; vel accidens perfectius acquirendum quasi ordinat, ejusq; ad illum terminum consequendum via est, quod ipsum in quantùm fieri debet, in tantùm subjectum in ejusmodi potentia sit, oportet, ut motus hac ratione potentiam subjecti ad terminum acquirendum* potius requirat, *quàm* ut eandem, *prout actus quidam est,* tollat.

Deinde etsi non explicitè *mentionem termini faciat; innuit tamen illum* implicitè per potentiam: *utpote quæ non nisi respectum ad terminum importat: nam terminus est actus ejus, à quo perficitur, motus a. actus ille, qui eandem ad terminum perficientem ordinat: hinc positâ potentiâ in respectu ad actū, correlatum etiam, quale actus est, poni & subintelligi necesse est. Hocq; sufficit: quia,*

licet motus ab eodem ſpeciem ſeu rationem ſortiatur,*idem tamen* nõ eſt ratio ipſa, *ut proinde operæ pretium ſit ipſum in definitione expreſsè collocari.*

Nec tandem, quod ſummatim obſtare videbatur, quicquam valet: nam motus conſiderari poteſt bifariam: ſecundum eſſe ſimplex, & à reſpectu quem cum ſubjecto fovet præciſum: *deinde* ratione ſubjecti, prout eſt hujus affectio propria. *Priori modô citra mentionem ſubjecti aliter quidem determinari valet, ut mox videbimus: poſteriori tamen non poteſt, niſi collatione cum ſubjecto ſuo: quia tunc terminus reſpectivus eſt, qui non poteſt aliter definiri & determinari, quàm per eum, quem reſpicit: relata n. ſe mutuò definiunt. Hinc non eſt exiſtimandum,* quaſi ratio à ſubjecto deſumpta tantùm dicat cujus ſit motus: *ſed* quia id etiam, cujus ille affectio eſt, rationem affectionis peculiaris largitur & quaſi imprimit. *Quid? quod omnia accidentia ægrè determinari queant niſi in ordine ad ſubjecta ſua, utpote à quibus eſſe ſortiuntur, conſiderentur. Quod ſi igitur verba Ariſtotelica dexterè explicentur, uti modô fecimus, non eſt, quare eadem* è motus definitione prorſum eliminemus, *ita tamen, ut* clarius & magis propriè *dicatur in quonam motus conſiſtat, ſi vocabulis hujus diſci-*

disciplina utamur; asserentes motum esse corporis naturalis seu mobilis, vel convenire corpori mobili, quatenus scil: illud ulteriorem proprij cujusdam accidentis v g. Quantitatis, vel Qualitatis &c. perfectionem recipere natum est.

Alterum erat utrum successio internam motus rationem exhibeat, ubi dicimus, hanc eidem convenienter assignari, prout præcisè spectatur, *ceu præcedentibus indigitavimus: siquidem ejusmodi ratio est, quâ, dum motui revera & per se convenit, ipse ab omni, quicquid motus non est, distinguitur & demonstratur hoc ulterius: negata successione de motu, motus non est motus, sed actio instantanea, neq; subjectum in potentia erit, quia in eodem instanti, quô sit in potentia, prout scil. motu gaudet, terminum consequitur, quod falsum: ergo successio revera & per se motui competit, adeoq;, dum, ut is talis sit speciatim & distinctim, facit, de internâ ratione est. Id quod etiam partim instantanea creatio; partim generatio v. g. confirmant, quæ ideò motus non sunt, dum successione carent.*

Quod interim dubij rationes concernit: negandum venit successionem tantummodò motus proprietatem non verò rationem formalem esse: quia non datur in motu, præter naturam genericam, conceptus prior, qui ratio

ista esse possit, quemadmodum v.g. in Quantitate divisibilitas proprietas erat quia extensione posterior fuit. Negamus etiam majorem hanc: Quod motui convenit prout patitur resistentiam, id ei non convenit, per se, seu intrinsecè: quia n. motus in passione quoq; collocatur, quantum naturam genericam ipsius spectat, ut alibi indigitatum fuit, pati resistentiam ipsi non conveniet per accidens, *sed,* quatenus passio quædam est, *unde successio, hanc determinans, resultat; non tamen negatô, quòd,* id, à quo patitur resistentiam; seu ipsum, quod, ut succesivè fiat, resistit, nondum de ipsius ratione interna *sit: talis namq; est pars corporis extra partem, per cujus multitudinem virtus motrix non simul & semel transire, seu penetrare valet, ut mox pluribus dicemus; quæ ad corporis substantiam potius spectat, quàm ut essentiæ motus includatur.*

Nec deniq; existimari debet, quasi successio tam internè & propriè Quantitati, Tempori &c. competat, *quàm* intimè sese habet ad essentiam motus: *demonstramus hoc exinde: quia illa, iisdemq; similibus affectionibus debentur & asscribuntur aliæ rationes formales, ceu partim ex antecedentibus de Quantitate liquit, partim ex sequentibus fieri poterit inductio. Quando igitur Quantitas*

tas v.g.& c.attributa corporis propria successiva dicuntur id fieri putandũ est per denominationem motus extrinsecã: *dum cum motu necessariò conjuncta sunt, tanquam supra & propter quæ motus; seu successiva acquisitio exoritur; non verò* quòd eorundem omnium; vel alterutrius ratio interna sit, *aliàs rationes formales eæ, quæ iis assignatæ sunt, de iisdem negandæ venirent, quod falsum. Ex hoc incidenter patet, motus essentiam ægrè pati, hanc rationem formalem sibi suæq; Physicæ auferri & quasi capillis cum permanente, ad primam Philosophiam trahi, cujus affectionem disjunctivam constituat; cùm tamen certum sit, nihil successivum esse, nisi hoc à motu habeat, nihilq; motum esse, quod per & ex se successivum non sit.*

Dubium 8. Quomodo motui successio tanquam ratio formalis possit attribui, cùm tamen causa successionis non reperiatur in quovis corpore; quod mobile nihilominus est certoq; motu actuali movetur, sic in corpore simplicissimo, quale præ reliquis cœlum est, nulla datur resistentia, ob quam hòc successivè moveatur. Utpote alteratur sine successione motus, quando

quando illuminatur absq; mora, idq; ideò, quia resistentiâ caret, quippe quæ duntaxat datur, quando corpus impuritate mixtionis virtuti motrici obstat, quò minus terminum consequatur, quod de corpore, mixtionis experte, enunciari nequit?

Resp. Quamvis non omni corpori naturali tàm evidens *motus conveniat*, qui sensibili quadam morâ in terminum tendat, *ceu vel cælo hoc ipsum largiri possumus: non tamen negari debebat, quodlibet corpus, & consequenter cælum, ceu quodvis certo motu gaudet*, aliquam resistentiam *includere ob quam motus ipsius* quodammodo scil. per qualem qualem per morulam, *successivus sit: nam causa resistendi, adeoq; motum successivū arguendi, non tantùm* in mixtionis impuritate; *sed præterea* in partium extra partes positione *deprehenditur; quarum illa est, cur longiori moramentò res moveatur, sic in animali resistunt impuritas corporis terrestris & diversarum propensionum partes animæ motrici usq; adeò, ut non nisi tardiori motu animal moveatur, hæc verò ad minimum causa, ob quam motus, qui corpori suo convenit, nondum momentaneus sit. Adde quod resistentia etiam procedat* ex communibus requisitis, ad motum spectantibus, *ut sunt terminus*

minus à quo & ad quem &c. quæ simul esse nequeunt.

Est ergò in cœlesti corpore resistentia ad successionem qualemcunq; causandam; *licet non* ad moram sensibiliter longam, *quippe quæ corpori impuriori, quantò magis ex diversi generis partibus compositum est, tantò evidentius convenit.*

Dubium 9. Quomodo continuitas ad motum spectet, dum proprietas, vel ratio motus non esse potest: quia convenit etiam Quantitati, immò Corpus ipsum & reliquæ affectiones in universum continuitatem sibi vendicant: sic Qualitas continuos gradus, Tempusq; prius & posterius continuum involvit: interim tamen ad motum ita se habet, ut motus non sit, nisi continuus existat: aliàs certè, si scil. per instantia discontinua seu disruptas morulas fieret, ut v. g. in instanti A sit una pars motus quæ immediatè post cesset; postea verò in instanti C alia motus incipiat, mobile inter duo instantia quiesceret, inq; tantum mobile non esset mobile. Item motus esset motus in plurali, quod falsum?

Resp.

Resp. Continuitas (*quæ nihil aliud est, quàm in divisio partium illius, cujus est conti- tinuitas, faciens scil. ut illæ, non* contactu *ut* vinculo quodam, *sed* naturâ *unitæ sint: est n. specificus unitatis transcendentalis conceptus*) *bifariam sumitur:* generaliter denotans unitatem, seu continuitatem quarumcunq; partium sive sint substantiæ physicæ, sive accidentium illius: *deinde* specialiter pro continuitate fluxus; seu successivæ tendentiæ in terminum mobili acquirendum: *priori consideratione corpori, omnibusq; ipsius attributis convenit, & corpori quidem πρώτως, tanquam enti substantiali; hisce δευτέρως, tanquam accidentibus corporis propriis. At verò juxta sumptionem posteriorem soli motui debetur ipsiusq; modus non quidem* formalis; *attamen* materialis *est: nam quemadmodum quicquid Ens est per essentiam illam, quam sortitur, etiam unum seu indivisum est ceu ex Metaphysicis patet: ita etiam motus, dum ens successivum est, ab essentiâ illa habet, unde unus seu continuus in specie sit. Vides igitur attributum continuitatis ex simplici motus essentiâ promanare adeoq; materiale esse, dum successio rationem involvit formalem.*

Summatim sicut motus verus: est ita unus; vel continuus etiam dicitur. Observa a., *quòd*

unitas

unitas motui præterea dupliciter aſsignetur: partim quà hanc ab interna eſſentia ſibi vendicat, *de quà modò locuti ſumus*; *partim* quà unus dicitur per extrinſecam denominationem, ſcil. propter unitatem termini, ad quem dirigitur: *hæc unitas ſeu continuitas eſt motus proprietas, quippe quæ rationem, qualis eſt ſucceſsio, conſequitur: Succeſsio n. prius concipitur, quàm ut intelligatur in unum eundemq; terminum tendere. Hanc unitatem declaramus exemplo: in practicis v. g. virtus duplici ſenſu bona eſt*, ex ſe, quia eſt peculiare ens; & per denominationem à fine *ſecundum tritum illud: finis dat bonitatem mediis, juxta hun: modum cõtinuitas ſeu unitas quoq; motui, aſcribebatur.*

Quod deniq; Quantitatem, Qualitatem &c. ſpectat generalis ſeu tranſcendentalis illa unitas, quæ ipſis ſuperius communis erat, itidem in iisdem reſtringitur, ceu unitas fluxus in motu reſtricta eſt, ſic in corpore eſt unitas partium ſubſtantialium *in Quantitate unitas* extenſionis *in Qualitate indiviſio ſeu* continuitas graduum.

Dubium 10. De quanam unitate ſermo eſſe debeat, quando motus, hujus conſiderationis genericus, unus eſſe dicitur: an genericè ſpecificè & numericè ſimul an v. tantum genericè: ſi omnis

omnis de eo affirmabitur unitas, utiq; motus in generali parte considerabitur non tantum generaliter, sed etiam specificè & individualiter, quod inconveniens: sin deniq; generica saltem de eodem intelligatur: intelligetur tantùm extrinsecè, unus scil. per terminum ad quem, quod non sufficiet motum physicè unum dixisse?

Resp. Accuratè loquendo motus h. l. unitate tantùm genericâ unus esse intelligitur: siculi etiam ex se conceptum genericum importat. Non tamen unitatem genericam in eo sensu intelligimus, in quo ipsam autores sumunt, quando, sicut indigitatum, de triplici motus unitate mentionem faciunt: *nam genericam unitatem eam dicunt, quâ motus non satis unus dicitur, sed saltem ex parte v. g. propter terminū unius generis. Specificum verò eam volunt, quâ internè unus est, scil. per rationem formalem internam: ac numericam quâ prætereà subjectivè: quæ unitates proinde æquè de motu hujus loci affirmātur, dum ipsum non ad certam motus speciem astringunt; sed motus rationem genericam perfectè unam prædicant. Unitatem interim genericā innuimus*, quæ motuū specialis partis unitatibus specificis & harū individualibus opponitur: *quia motus hac vice conceptus genericus est: hisce in specie & individuo inferioribus.*

Dubium II. An unitas, extrinsecè denominans, tanquam proprietas quædam, motui conveniens, à termino, & quidem ad quem, proficiscatur; an à termino potius à quo; anverò à subjecto; vel an ab omnibus simul: Dices n. eum à termino ad quem esse? obstabit, quòd contingat ad eundem terminum motus longè diversos esse v.g. ad eundem motus circularis, & motus per lineam rectam tendere possunt, qui tamen diversi sunt: negabis? Ergò nihil refert plures, vel unum esse terminum ad quem, ut unus, idemq; motus fiat, sicq; non obstat unum esse motum, dum in quantitatem & qualitatem tendat, quod falsum. Porrò si inficiabimur, ipsam à termino à quo esse; opponi poterit: à quo quid incipit esse, ab eodem etiã dependet unitas: à termino à quo motus incipit esse: Ergò: minori planâ, major vel inde constat: Quia unitas est motus entitatis, quæ non potest respectu illius, à quo essentia depẽdet,

independens esse, enti n. non esset internã.

Sin affirmabimus eam, esse à termino à quo; itidem objicietur, id, quod deseritur & quasi abjicitur, nec ad deserentis essentiam, nec ad unitatem facere: Motum a. terminum à quo deserere: ac proinde ab eodem continuitatem nondum acciperẽ.

Circa subjectum a. si unitatem motus ipsi assignabimus, Scylla erit, quòd in uno eodemq; motu contingat subjectum ita variari, ut vel specie, vel genere duplex evadat v. g. decidat homo de monte, & in medio motus, antequam ad terram deveniat, moriatur, subjectum illius motus idem non erit: homo n. vivus & mortuus genere distinguitur: quia ille est animal rationale: hic cadaver, quod tantùm è genere mixtorum est. Sin negabimus, à subjecto continuitatem seu unitatem motus oriri, Charybdis est, dum motus à subjecto habet, unde sit, quicquid est: est n. accidens proprium illius,

lius, cujus esse est inesse: inde n. unitatem quoq; esse indubium erit.

Ultimum denique quòd scil. ab omnibus sit, tantò minus statuendum erit, quantò ponderosiores rationes erant, quæ negarunt, quòd ab ullo hæc (unitas) motui conveniat: sin verò negativa valet: quomodo rationes affirmativæ, quibus scil. probatum videbatur, eandem tùm à termino à quo, tùm ab ad quem, tùm etiam à subjecto atq; sic ab omnibus esse?

Resp. Quia nobis de unitate extrinseca *est sermo, dicimus motum, quòd extrinsecà denominatione unus sit,* omnibus, scil. termino à quo, & ad quem, itemq; subjecto, nec non alijs, ad se pertinentibus, acceptum referre; *attamen non* tàm æquè quibusvis, quàm alterutri. *Prius rationes, pro affirmativa sententia in dubio allatæ, obtinuerunt; posterius a., nempe quòd unitas motus non æquè ab omnibus sit, inde patet: est n.* πρώτως à termino ad quem: *quia hic est veluti forma ultima extrinseca motus, & ab illa determinatur movens quatenus movens, ut talem; vel talem motum causset in specie: immò motus in re non est nisi ipse terminus,*

minus, vel res accidentalis, quæ est in fieri, prout egreditur & pendet à movente, hinc reducitur ad id entis genus, quod per ipsum acquiritur. Si igitur terminus unus est, motus quoq; unitate gaudebit. A quo præterea quid denominatur, id primariò unitatem largitur: à termino ad quem motus denominatur motus localis à loco, calefactio à calore &c. Ergò. A termino à quo *porrò unitas motus dependet* δευτέρως*: nam licet tàm impossibile sit motum esse sine respectu & dependentia ad terminum, à quo incipit, quàm impossibile est eundem esse sine respectu ad movens: quia tamen is talem (terminum à quo) non* principaliter *respicit, sed* quasi deserit inq; terminum ad quem præcipuè collimat, *utpote à quo esse sortitur perfectum, postquam anteà erat in imperfecto: dicendum, ipsius unitatem* juxta qualemcunq; tantùm rationem *ab eo dependere, scil.* inchoativè, *quemadmodum scil. ab eodem incipit esse; non* consummativè seu specificativè, *utpote quod termino ad quem per rationem modò adductam præ hoc meritò deputatur.*

Eodem causam moventem quòq; motus, quoad unitatem spectatus, respicit, ab illa scil. unitatem itidem sortitur originaliter *non verò* formaliter, *quod debetur termino acquirendo, ceu explicatum fuit.*

Subje-

Subjectum *porrò ad essentiam, & consequenter quoq; ad unitatem, motus requiritur* materialiter: *siquidem motus bifariam spectatur:* in se & prout motus est; *deinde* ratione sui formalis termini. *Illo modô non tàm subjecto inhærere, quàm termino suo adhærere intelligitur, idq; tanquam peculiaris modus ipsum (terminum) à Movente fluentem & dependentem constituendi & obtinendi. Hinc etiam juxta illam considerationem, quia scil. secundum eam à subjecto non intelligitur τὸ esse (quod est inesse, seu inhærere) habere, non putatur unitatem accipere. Posteriori vero modò ipsi (motui) convenit inesse subjecto, seu corpori suo quod ita demonstramus: Motus in hac consideratione intelligitur accommodatus termino suo; utpote à quo extrinsecam rationem seu perfectionem sumit: Ergò motus quoad hanc accommodationem & perfectionem, quam à termino sibi vendicat extrinsecam, subjectum postulat, cui insit, atq; juxta hanc inexistentiam seu inhæsionem, quæ ipsius perfectum ac determinatum esse est, subjecto quoq; suam unitatem debetur, ceu indubio probatum fuit. Vides autem, quòd* juxta exigentiam termini *motus subjectum requirat; nullô tamen modô* sub præciso motus conceptu *ordo quispiam ad subjectum explicetur: hinc quod supra statuimus con-*

cludimus, subjectum scil. ad essentiam & unitatem sese tantummodò materialiter seu fundamentaliter habere, prout scil. termini inhærentis & consequenter motus determinati fundamentum, seu subjectum evadit. *Videre etiam ex modò declaratis licet, quòd cùm terminis; tùm subjecto unitas motus, sed diversimodè, ascribatur.*

Restat oppositis rationibus satisfaciamus: & quod primam, à motu circulari & recto, in eundem terminum collimantibus, desumptam, spectat; respondemus terminum ad quem unitatem motui impertire, intelligi potest duplici sensu: scil. se solò, *id quod falsum esse vel ex allegata ratione constat: deinde* junctim cum aliis ad unitatem spectantibus, *uti erant subjectum &c. quod verum esse demonstravimus. Quamvis igitur motuum, superius indigitatorum, idem terminus ad quem detur: quia tamen subjectis distinguuntur (idem n. subjectum rectô & circulari motu simul ad eundem terminum ferri seu ordinari nequit) unus motus non sunt: vel dicendum, illos motus considerari posse dupliciter* : ratione determinationis, quam sortiuntur â subjecto & quantitate, ejusdemq; figura : *ac deinde* ratione accommodationis & determinationis, quam sibi vendicant â termino, tanquam ab ultima forma.

ma. *Priori modo distinguuntur: nam subjecta sunt diversa, quod planum; item figuræ quantitatum quoq; diversæ sunt: motus v. circularis figura est circulus, recti linea recta: posteriori verò motus determinatus, seu res una fiunt: quia scil. coincidunt in eandem formam seu terminum, proindeq; ad unam eandemq; categoriam reducendi veniunt, nisi velis statuere,* ipsos ejusmodi terminum dividere, ut quilibet partem sibi propriam vendicet, per quem diversus erit, *si non tanquam per terminum* specie; *tamen* numerò *diversum*.

Quod porrò terminus à quo abjiciatur, est tantùm, cur ab eodem unitas motus non primariò *dependeat, stante quòd hæc* secundariò *ex ipso æstimanda sit. Deinde negamus quoq; terminum à quò in motu naturali* qui inter positivos naturales est, *prorsum abjici v.g. Quantitatem, quæ motu augmentationis ulterius perficitur, dum in corpore aucto præexistit, non* abjicitur *quoad essentiam, sed* perficitur; *concedimus a. id fieri ubi terminus à quo* non erat naturalis *v.g. quando aqua se ad proprium frigus à calore revocat, calor terminus (utpote qui contra naturam aquæ erat) abjicitur: sive tamen terminus abjiciatur; sive non, certum est motum ad terminum ad quem propendere, declinando à ter-*

mino à quo, quod causa erat, cur hunc ipse non primariò sed secundariò respiciat.

Ultimam quod spectat rationem, distinguendum est inter subjectum adæquatum & inadæquatum: *homo de monte decidens non est adæquatum subjectum, aliàs possem dicere: quicquid decidit de monte homo est; sed inadæquatum, hinc nihil refert ipsum mutari & diversum evadere. Sufficit quod in illo motu idem adsit & maneat adæquatum, nempe corpus de monte prolapsum.*

Dubium 12. An motus certos terminos, quorum modò mentio facta, habeat, nec ne: nam si prius negatur, motus non potest esse affectio corporis, utpote quod certis essentiæ terminis limitatum est: aliàs n. non secus, ac dictum fuit de Quantitate, ille hujus naturam excederet & infinitus esset, quod falsum. Sin statuitur motum terminos à quo & ad quem sibi vendicare, obstat, quòd demonstrari nequeat, ipsum aliquando incepisse, & desiturum esse, quô positô, certos terminos haberet; nec repugnet statuere ab æterno ipsum fuisse, & fore in in-

in infinitum: nam licet certarum rerum motus in ſpecie, vel individuò à quo & ad quem terminos, habeant: hoc tamen non videtur dicendum de omnibus rerum naturalium ſpeciebus, multò minus de corpore in genere: datur n. contrarium: e.g. motus ſtellarum, cujus neq; initium neq; finis per rationem phyſicam videtur probari poſſe. Adde quòd termini non ſint de formali motus conceptu, quô poſitô, neceſſarium nondum erit, motui ex utraq; parte terminos attribuiſſe?

Reſp. Uti quævis affectio ſuis terminis clauditur: ita quoq; motus certis terminis definitur, & quidem termino, ut vocant, à quo ac termino ad quem. Terminos, *inquam, habet utrinq; propter rationem in dubio allatam.*

Terminum v. à quo *ideò: quia hic in motu eſt ratio, ob quam ſe res habet aliter quam antea, ſcil. per terminum iſtum. Terminum* ad quem *autem quilibet motus ſortitur propterea, quoniam motus eſt acquiſitio, qualis ſcil. dici non poſſet, ſi nihil acquireret: Item terminus ad quem eſt quaſi finis & for-*

ma motus, quæ proinde non potest huic denegari: aliàs præterea motus frustra esset: quia, dum ad quem terminum non haberet, nihil in re naturali obtineret quod omni ex parte, falsum est. Ratio dubij contraria discutitur in doctrina de Tempore, ubi à sanioribus philosophis per rationes satis firmas negatur, philosophicè ignotum esse, quòd res naturales aliquando ceperint, tandemq; desituræ sint, ceu infra significabimus: hinc n. motum quoq; cujuscunq; sit generis, inchoasse, & termino, ad quem tendit, tandem finiri, consequens erit. Repugnantiam a. vel progressus in infinitum, utpote quem in omni re naturali natura abhorret, in motu, si terminis careret, involveret.

Quod porrò spectat ad motum stellarum, neq; ille vel quoad negationem alterutrius; vel quà utriusq; termini infinitus est, ut scil. exinde concludi valeat non omnem motum certis terminis claudi: nam, si probabitur in Temporis doctrina nihil rerum naturalium æternam sibi donationem vendicare: certum quoq; erit motum stellarum habere terminos. Dicis: positô motum illum stellarum habere terminum naturalem à quo, scil. primum ubi, quô desertô, illæ moveri inceperunt: terminus tamen, ad quem, non dabitur naturalis, positâ scil. ultimâ mundi rerumq; naturalium de-

structio-

structione: etenim destructio illa erit à principio hyperphysico adeoque contra naturam, ut proinde fieri nequeat, quin termino quoq; seu ubi, in quo motus ille stellarum terminabitur, prorsumq; cum suo corpore esse desinet, contra naturam fuerit? Resp. aliud est destructio seu annihilatio rei mobilis seu motæ, hujusq; motus: *& aliud* ultimum ubi, quod ante illam destructionem immediatè acquiritur: *non hæc, sed illud (ubi) terminus motus est, ad quem stella continuô fluxu tendit, isq; naturalis; quia Deus stellam ad illud tendentiâ naturali demum obtinendam produxit & ordinavit; quamvis eandem posthinc immediatè destructurus sit, id quòd contra rei (concedo) naturam naturalemq; cursum fuerit.*

Hinc etiam asserere non dubitabimus, stellam nisi Deus eam post ultimum illud ubi, naturaliter acquisitum, momentaneâ mutatione nondum destrueret, in eodem (ubi) oppidò quieturam: quia tendentiam naturalem impetratô scil. & possessô ultimô ubi, juxta institutum Naturæ, finivisset, & absolvisset.

Postremò dicimus motum considerari præcisè; *vel* determinatè: *priori consideratione termini non sunt de ipsius conceptu uti ratio dubij volebat, posteriori verô ad eundem utiq; requiruntur, præsertim terminus ad quem, quippe qui motum ad certum ens deter-*

determinat, qui aliàs in nulla categoria est.

Dubium 13. Utrum termini motus sint oppositi; nec ne: dicas esse oppositos: obstabit, quòd nulla species oppositionis iis competat: non n. contradictoriè opponuntur, ceu planum, aliàs scil. unus esset non ens negativū, quod falsum: nec contrariè; sic n. qualitates alteratrices essent, atq; proinde in doctrina elementorum attendendi; vel talibus qualitatibus præditi, atq; sic essent termini motus partis physices, specialioris neq; hoc locô motui in genere convenirent: nec relativè: nam relata se mutuò ponunt hi verò se tollunt; quoniam unô abjectò alter acquiritur: Neq; deniq; privativè: quia uterq; ens ex se positivum est v. g. Quantitas minor est terminus à quò motus, tendentis in Quantitatem, illâ majorem, tanquam in terminum ad quem: at verò & minor & major Quantitas ens positivum est, adq; Quantitatis categoriam

goriam pertinet: quemadmodum præterea Qualitas, cujuscunq; gradus sit, Qualitas nihilominus positivè est, utut alia detur gradus eminentioris: Ergò non sunt oppositi nisi disparatè: quæ tamen oppositio non est propriè oppositio. Negabis porrò ipsos opponi? ergò simul existere poterunt in eodem subjecto, quod falsum?

Resp. Terminus motus à quo & ad quem considerantur dupliciter: secundum essentiam simplicem; *& deinde* juxta esse respectivum: *Secundum illam non opponuntur, sicut ratio dubij importat, sed saltem naturam disparatorum sortiuntur: quia scil. juxta hanc considerationem, tanquam materialem, sese non respiciunt invicem* ut terminos, *sed* tanquam diversas essentias subjecti accidentales: *sic Qualitas gradibus imperfectior, & Qualitas intensissima ratione essentiæ Qualitatis accidentalis absolutæ non opponuntur, nisi tanquam accidentia numero disparata, seu diversa.*

Quatenus tamen termini motus invicem conferuntur & unus alterum respicit tanquam terminum, à se ita diversum, ut tum

cum eodem non possit in subjecto simul existere, sub ratione scil. quà terminus est, oppositio inter eos datur, licet non contradictoria; *nec* adæquatè contraria; *utpote quæ tantùm partis specialis terminis assignari potest: tamen* privativa: *quia terminus à quò deficit esse id indebita perfectione, quòd est terminus ad quem, v.g. Quantitas minor, prout debebat esse major adeóq; perfectior, carentiam perfectionis (accidentalis) inesse debitæ, notat, à qua, dùm Natura per motum ad illam perfectionem tendit, motus incipit tanquam à termino à quo, & acquiescit in illa perfectione quam impetravit, tanquàm in termino ad quem. Dicis: ergò motus fiet in instanti: quia nuda privatio non resistit? Resp. resistentia non ascribitur* privationi seu perfectionis defectui, *qui termino à quo convenit; sed, ut supra vidimus,* aliis in corpore conditionibus. *Negatur ergò, quòd uterq; terminus in hac altera consideratione positivus sit, licet scil.* quoad essentiam absolutam *terminus à quo, hoc vendicet sibi; tamen* ut terminus est à quo *defectum notat, qui proinde adventu termini ad quem dicitur abjici seu tolli, non secus atq; in generatione privatio substantialis formæ desinit subjecto convenire, quàm primum forma recipitur.*

Eadem

Eadem distinctione observata statuendum venit, terminum à quo abjici, & non abjici. Illud, prout à quo terminus est: *hoc* prout naturale accidens est, per naturam scil. subjecto conveniens; *v. g. Quantitas inchoata, quatenus talis, non abjicitur in corpore, quod ad perfectiorem motû augmentationis pervenit, sed perficitur appositione perfectioris termini ad quem; licet desinat inexistere sub ratione termini privativi. Dices v. hanc oppositionem æquè inadæquatam esse: quia non est inter omnes terminos, scil. datur, terminus à quo, qui termino ad quem contrariè opponitur v.g. data in aqua caliditate, à qua ad nativum frigus motus sit, ibi sanè caliditas non est terminus privativè oppositus frigiditati, sed contrariè? Resp. distinguendum est inter terminos subjecti* merè naturales, & *eos,* qui vel prorsum non naturales sunt, vel quorum alteruter non est naturalis, sed extrinsecùs adveniens.

Ubi termini sunt in subjecto contrarij, ibi ad minimum alteruter non est naturalis, nobis de merè naturalibus loquentibus, V.g. caliditas in aqua naturalis terminus non est, à quo ad frigus motus sit, sed est contra naturam aquæ, ideoq; expellitur, dum aqua ad naturale frigus gradum revocat.

Dices:

Dices: sic terminus privativus quoq; sese habet, qui tamen motus merè naturalis terminus est? Resp: non sanè in totum se ille tenet, sicut contraria qualitas, quæ non est naturalis in subjecto: nam hæc neq; materialiter *prout est Qualitas neq;* formaliter,*prout terminus contrarius est,naturaliter inexistit,sed* à principio extrinseco. *V. g. ab igne proficiscitur: privativum verò quod attinet, ille naturalis est* essentialiter, *quia fluit ex natura rei: deinde* prout est terminus à quo,conditionaliter, quatenus scil. ad naturalem motum prærequiritur: *nam si hæc privatio nondum inesset, motus ad ulteriorem perfectionem non daretur. Quod declarari potest exemplo: in aqua non est imperfecta siccitas, quæ tanquam terminus à quo motus, ad perfectiorem siccitatem tendentis,sese habere queat: hinc non est existimandum in aqua dari motum ad ulteriorem perfectionem siccitatis, utpote quia hæc nullum siccitatis gradum sibi vendicat.*

Obiter observari velim, oppositionem terminorum, etiam naturalium, communiter contrariam vocari posse; non verò, accuratè loquendo talem esse,per rationem supra allatam.

Dubium

Dubium 14. An unus idemque motus duplicem terminum (sive de termino à quo, sive de termino ad quem loquamur) habere possit: contra affirmativam est unitas motus, quam, ut supra explicatum dedimus, motus sibi vendicat à termino; contra negativam verò multa exempla pugnant: sic in motu calefactionis terminus utrinque duplex datur, non obstante, quòd motus ille unus dicatur, scil. calor imperfectus, atq; raritas, seu etiam levitas, à quibus simul calefactio oritur ad caliditatem, raritatem ac levitatem perfectiores acquirendas?

Resp. Distinguendum est inter terminum essentialem ultimum, ac principaliter terminantem, adeoque respectu motus adæquatum; & accidentalem, seu secundariò ad primarium, adeoq; ad motum concurrentem. *Prioris generis terminus utrinq; unus est, unius scil. motus: alias motus non posset unus vocari, uti alibi & in dubio satis declaratum fuit. Nihil interim probibet, posterioris ex utraq; parte motus plures esse; fieri enim potest, ut termino illi, qui motum*

N *princi-*

principaliter & adæquatè requiritur, multa a cidant, quæ proinde accidentaliter motui adjudicantur, ita nimirum, ut ratione illius motus non tam dicantur termini inrecto, *quàm termini (scil. adæquati)* inobliquo; *non secus scil ac v. g. in Logicis, terminis Categorematicis multa syncategoremata tribui possunt, quæ tamen in enunciatione pro uno tantum extremo supponunt.*

Ita ergò sese habent raritas & levitas ad calefactionem & calorem i. e. non sunt termini principales & essentiales, seu calefactionem, ut sic, & adæquatè terminantes: *nam si raritas v. g. motum calefactionis terminet, ut sic: calefactio, non calefactio, sed rarefactio dicetur, idem de aliis judicandum:* quatenus verò cum calore simul acquiruntur secundariò & indirectè tanquam adjacentia termini principalis ad motum spectabant. *Atq; ita relinquitur unius motus unum ex utraq; parte terminum esse.*

Dubium 15. Asseritur terminos Motus oppositos esse, dubium ergò oritur, utrum ita distinguantur, ut, si quoad essentiam suam spectentur, diversi vel generis, vel speciei sint, an verò nihil prohibeat utrumq; generis; vel speciei ejusdem esse; prius statuendum

endum videtur ideò, quia ens privativum nihil dicit, præter nudam aptitudinem formam recipiendi, ac proinde à positivo (quorum hoc terminus adquem, illud terminus à quo est) genere, tantoq; magis specie diversum est. Adde, quòd v.g. à frigiditate ad caliditatem motus sit, quarũ tamen illa ab hac speciediversa est. Posterius propterea quia motꝰ est de imperfecto ad ad perfectum, quæ nec genere, nec specie diversa sunt, sed saltẽ accidẽtaliter.

Resp. Termini motus sunt duplicis generis in mobili: naturales; & contra naturam mobilis: *quod illos attinet dicimus, eos nec genere, nec specie diversos esse, prout unius ejusdemq; motꝰ termini sunt: idq; per rationẽ dubii. Termini verò non naturales non* genere: *sed vel* specie, *vel etiam* tanquam perfectum & imperfectũ saltem, *diversi sunt: non genere, v.g. idem motus non est à quantitate ad æqualitatem, vel ubi, sive naturaliter, sive contra naturam hi termini sese habeant: aliàs enim species motus confunderentur nec cuilibet peculiares termini assignari possent, quod perabsurdum. Specie, exempli gratiâ, à frigiditate ad caliditatem unus idemq; motus est,*

quarum illa ab hac specie diversa est. Deniq; tanquam perfectum & imperfectum saltem: quia fieri potest, v.g. frigiditatem in mobili non esse naturalem, ad cujus perfectionem, tamen motus est, propter principium, frigus introducens extrinsecum: atque ita duæ istæ frigiditates termini erunt unius motus tanquam perfectum, & imperfectum saltem diversi. Sciendum autem, quòd etiam supra notandum erat, bujuscemodi terminos, neque motum eorum directè hujus loci esse: quia agendum nobis est de motu merè physico.

Quamvis ita q; termini naturales, privativè opponantur, distinguendum tamen venit inter privationem puram; & permixtam actui: *termini motus physici privationis non illius, pro qua dubii ratio dimicabat, sed hujus oppositionem fovent. Hinc terminus à quo* nō nudam duntaxat carentiam & *aptitudinem termini ad quem notat*; sed ejusdem quoque essentiæ, scil specificæ atque genericæ, est *cum termino ad quem: licet* numericum seu accidentale discrimen *cum eodem servet*; *dum quoad essentiam positivam attenditur.*

Dubium 16. Ergòne motus ille non est naturalis, qui v.g. à frigiditate, quæ est contra naturam ipsius tendit

in

in caliditatem, terminum, sibi naturaliter debitum, quòd scil. ad motum naturalem termini utrinque naturales requirantur, quo tamen vix videtur absurdius dici: quia sic statuendum esset, ignem v. g. dum, in mixto detinetur & naturâ sursum evolat, non moveri naturaliter, quoniam scil. terminus à quo naturalis nondum fuit, atque idem de aliis?

Resp. Breviter motus ille, qui à termino, qualis in mobili erat contra naturam, ad terminum naturalem dirigitur, naturalis est, atque dici meretur, non quidem ἁπλῶς *& exquisitè, quia scil. alterutrâ naturalis tendentiæ conditione, qualis est terminus à quo naturalis, destituitur, attamen* secundum quid & ex parte reliquarum conditionum naturalium, quæ ad motum illum concurrunt, præsertim scil. respectu termini ad quem *utpote à quo primariò motus, cùm ratio, tùm denominatio dependet, sicut in superibus multipliciter dictum fuit. Restat igitur, motum* in puro naturalis affectionis statu *terminum ex utraq; parte naturalem requirere: licet motus ut explicatum dedimus* secundum quòd naturalis *alterutri naturali contentus sit.*

Observetur porrò motum illum, qui vice versâ à termino naturali oritur inq; eum tendit, qui est contra rei naturam seu etiam praeter naturam, admodum impropriè secundum quid naturalem dici, *dum scil. in subjecto naturali & à naturali termino est: nam sicut hae conditiones non* primariò *ad motum, ut sic, concurrunt, sed* secundariò, *ceu supra vidimus: ita non satis est, eas adesse ut motus propriè naturalis sit; quin potius vel contra, vel praeter naturam esse dicatur ob potiores, quae ejusmodi sunt; sic, quando à naturali frigiditate in aqua tendentia est in calorem, qualis contra aquae naturam est, potiores conditiones adsunt, ob quas fluxus seu tendentia illa motus contra naturam nuncupetur, scil. substantia caloris externa (ignis) tanquam movens, & ignis calor tanquam terminus ad quem, qui itidem contra naturam aquae est; quàm ea dicantur, propter quas motus ille denominari possit naturalis. Quid? Quod* accuratè *loquendo, subjectum quoq;, quatenus patitur extrinsecam vim calidi, naturale nequaquam dicatur: passio enim qua ipsum subjectum denominat erat contra naturam. Atq; tantò minus motus ille naturalis erit.*

Observandum juxta est, quòd, si motus ille consideretur respectu subjecti, *v. g. ignis, cui inest, tanquam proprio, naturalis & quidem*

dem modô exquisitô, dicendus veniat, licet talis non sit in aquâ, v. gratiâ, utpote tanquam in subjecto communi per participationem. *Sed sufficit hæc de terminis motus attulisse.*

Dubium 17. Non satis dubitatum fuit, quomodo motus se habeat ad corpus naturale, subjectum suum, utpote cui naturaliter convenit; verum huc usque sub judicibus lis est, utrum illi adeò debeatur, ut id, tàm activè sese movens; quàm paßivè motum denominet, quô positô, verum erit: corpus á se ipso movetur: quia tàm movens, quàm motum est; falsum autem, quod Philosophus inquit: Quicquid movetur, movetur ab alio: an verò corpus naturale denominet mobile duntaxat, seu motum; solam causam efficientem verò, & quidem primum Motorem, qualis est Deus, movetem, ut ita ad illud paßivè, ad hanc tanquam actio sese habeat, quô assertô, verùm erit: interna naturá corporis, seu corpus, neque quo ad partem, neque quoad totum movens est: vel

quicquid non est externa causa efficiens, eaq; primus motor, id non movet, id est, ipsi motus non potest imputari, tanquam actio agenti seu moventi. Cōtra priorem assertionem pugnat talis discursus: si motus corpus naturale, se movens, simulq; motum à se denominat; utiq; hoc ipsum corpori convenit vel quia totum seipsum movet, atque eô ipsô totum à se toto movetur, & quidem utrumq; tùm, quando omnes partes se invicem movent, nempe altera alteram; vel quia, pars, aut aliquæ ipsius partes movent, unde consequenter totum movere & moveri dicatur: at neutrum fieri potest. Non illud: quia, dum æqualiter partes se moverent, non daretur primùm movens, sed vel omnes primò moventes (partes) essent, quod idem esset, ac si dicerem: totum corpus est primò movens scil. suiipsius: quia partes simul sumptæ idem cum toto sunt; quod asseruisse falsum est: quia sic idem simul in actu & poten-

tia

tia esset: in actu dũ se ipsum moveret, ac eô ipsô in potẽtia passiva, dũ simul moveretur à se; vel alterutra tantùm primò movens esset; & sic totum, nec moveret, nec moveretur, nisi secundum quid, id quod erat alter modus, sese movendi, supra indigitatus, quem verò ideò rejici oportet: quia is motum partialem, nõ totalem facit, quod falsum. Item si totum diceretur se movere, quia pars se movet, tunc motum à se & à parte dicetur moveri v. g. compositum ex anima & corpore organico, & à se & ab anima dicetur moveri: at hoc est falsum, quia unius motus unus per se & proximus motor est. Patet ergò corpus à motu non simul movens & motum seu mobile denominari, sed motum seu mobile tantùm, atque sic extra corpus alia causa movens dabitur. Verùm contra hanc posteriorem sententiam inter alia sunt: quòd natura sit principium motus, uti & reliquarum affectionum corporis; sic enim quia hoc à corporis

essentia, constante materiâ & formâ, realiter non differt, idem à se ipso movebitur vel idem sui motus internam causam sortietur, ut ita falsum sit, quicquid movetur, ab alio (extra corpus positô) moveri, ac porrò quicquid movet, prorsum aliud à corpore esse, quod movet?

Resp. Eodem sanè modô motus sese ad corpus, quod est objectum Physicæ, & deinde ad hujus cùm internam, tùm externam causam habet, quo reliquæ affectiones cum hisce conferuntur, illud scil. denominant tanquam subjectum; hanc verò, tanquam causam sui externam, utpote unde proficiscuntur per simplicem emanationem. Quod ergò præsens dubium concernit, motus tripliciter consideratur: tanquam actio, seu ut proficiscitur ab agente: tanquam passio, vel prout recipitur â patiente: *ac deniq;* tanquam propria affectio, seu quâ subjectum, cui inexistit per se & necessariò afficit, deq; eodem demonstrabilis est. *Juxta primam considerationem* soli Naturæ, & quidem Naturanti, tanquam primo Motori, naturatæ, ut proximè moventi, deputatur, *id quod firmiter probamus hac ratione: Actio, quà actio, tantùmmodo ab agente proficiscitur, idq; agens deno-*

denominat: at ita se habet motus respectu Naturæ: ergò hac ratione & consideratione duntaxat ab eodem proficiscitur, idq; agens, seu movens denominat: & consequenter quicquid agens, vel natura non est, ab eo non proficiscitur actio, quà actio, nec idem agens, seu movens denominat. Minor non tantùm in dubio erat, sed etiam supra multis declarata fuit, ubi scil. dictum, naturam omnium affectionum corporis causam efficientem, eamq; tàm primam, quàm secundam seu proximam esse.

Juxta alteram, & postremam considerationem ascribitur corpori naturali, tanquam subjecto, idq; quatenus est passio, motum, proutq; ejusdem est affectio, mobile denominat. *Utrumq; extra controversiam est: nam vox motum, ceu vel ex Grammaticis & Logicis constat, in duos conceptus resolvitur, in rem quæ movetur, & hoc est corpus naturale, & passionem à qua moveri seu motum denominatur: mobile porrò corpus à motu quatenus hic est ipsius propria affectio, ad eundem modum dicitur, quô v.g. quantitas idem extensibile denominat: nam per quod corpus aptum natum est moveri, id eatenus ipsius affectio naturalis est, juxta quam mobile denominatur: at motus beneficiô corpus naturale aptum natum est moveri, ceu ponitur extra controversiam: ergò motus eatenus*

ipsius

ipsius affectio est, & vicissim quatenus motus talis affectio est, catenus corpus ipsius munere natum est moveri adeoq; mobile denominari.

Quemadmodum igitur motus secundum triplicem istam considerationem partim Naturam; partim corpus naturale respicit: ita vice versâ movens, motum & mobile juxta triplicem illam rationem probè distinguenda veniunt, & attendendum, ne, quod fieri solet, unum cum altero confundatur. Hinc porrò in decisionem dubij dicendum. Corpus quatenus est motum, seu quatenus recipit in se actionem vel fluxum, qui nuncupatur motus, movetur, & tùm non movet: atq; hinc verum est: Quicquid movetur, id (scil. quatenus movetur seu fluxum motus patitur) movetur ab alio: quia movetur ab agente seu movente, quod à patiente seu moto longè aliud est, quemadmodum scil. Philosophus verba sua intelligi voluit, innuens scil. per voces; Quicquid movetur, rem quæ motum recipit & in abstracto motum, prout est, receptio, per terminum; ab alio, rem quatenus ab ea tanquam actio, motus proficiscitur, id quod superius natura erat. Inconveniens a. fuit dicere: Quicquid movetur à se movetur: item corpus naturale, dum naturaliter movetur, se ipsum movet: quia præter rationes dubij allatas dicendum venit, ita confundi diversas consideratio-

nes,

nes, superius probè distinguendas: nam idem est, ac si dicam: idem dum patitur, agit, vel corpus, dum patitur, seu recipit motum, eòipso agit, quod falsum, & contradictorium.

Dicimus igitur iterum atq; iterum: Natura, quatenus est natura naturaliter movet, *seu est efficiens causa, motus, prout scil. hic est actio, eaq; sola, excluso scil. motô & mobili. Deinde:* Corpus naturale, quatenus, est subjectum motum recipiens, non, nisi à sola natura (se eatenus exclusâ) per motum (non à motu: hic n. non est agens cui debetur particula, à efficientis caracteristica, sed medium seu ratio, quâ agens, agit) movetur. Corpus naturale, quatenus est subjectum seu objectum motu determinabile est per motum mobile, tanquam per affectionem seu formam accidentalem determinantem. *Ad rationem, quâ objiciebatur, naturam, si moveat corpus, non esse re à corpore distinctam, acproinde corpus se ipsum movere si hæc (natura) causa movens sit, sicut scil. prius dubitatum fuit, dicimus distinguendum esse inter ea quæ* quoad rem seu materialiter, *vel quod idem, quoad supposita*: & *deinde illa*, quæ rationibus saltem causalibus invicem diversa sunt. *Natura scil. interna corpus non quidem illô; attamen hoc modô à corpore distingui-*

stinguitur: quia scil. natura rationem causæ efficientis; corpus verò, prout scil. motum suscipit, unde moveri dicitur, rationem materiæ seu patientis sustinet, quemadmodum in doctrina de Natura pluribus significavimus. Atq; hæc diversitas sufficit, ut aliquid ab alio aliud dicatur, præsertim si ratio illius causalis ab extrinseco principio dependet, quod in natura deprehenditur: nam quatenus illa consideratur, ut est motus causa efficiens, actio ipsius seu motus tendentia, quam elicit, dependet à causa efficiente extrinseca, nempe à primo Motore, quod etiam inculcatum in superioribus, ubi explicatus fuit concursus divinus cum causa secunda, qualis scil. Natura corporis interna est. Hinc tamen non sequitur, quod illud aliud pro sum extra corpus ponatur, nisi velimus loqui de primo Motore, eumq; per aliud sub intelligere: is n. est extra corporis essentiam, quam scil. non ingreditur tanquam principium constituendi, *ita tamen, ut* præsentiâ suppositi, & virtutis ad motum corporis efficiẽdum efficax sit, *quô assertô, Natura causa efficiens motus interna; **Deusq;** ejusdem externa erit, neq; enim aliter sentiendum erat in dubiis de Natura, quando eadem actione, quæ hoc locô motus vocatur, utramq; concurrere statuimus.*

Con-

Concludimus ergò quòd motus subjectum denominet partim motum, *partim* mobile *causamq; externam* moventem, *& quando illud subjectum movens vocetur, quia causam moventem continet, qualis est Natura, id* denominatione seu appellatione Rhetoricà, minusq; propriâ *fiat.*

Dubium 18. Non satis declaratum esse apparet, quomodo, si Natura moveat, motusq; subjectum motum, seu mobile denominet, ipsa quoque non simul moveatur, seu mobilis dicatur, licet n. dictum, quòd formaliter, seu causaliter à subjecto mobili distinguatur, quodq; eatenus, quatenus movet, non possit mobilis dici; non tamen oberit, quominus dicatur, ipsam (naturam) mobilem vocari consequenter, quando corpus, quò cum re idem est, movet; atque idem se ipsum, quoad rem, movebit & idem quoad rem à se ipso movebitur?

Resp. Eodem modô, quô non possum dicere naturam se ipsam extendere, dum corpus quanti-

quantitate extendit, nequeo asserere eandem se ipsam movere, quando id, à quo materialiter non differt, movere statuitur. Distinguo tamen inter moveri primò & per se; *&* per accidens; *sit, naturam per accidens & impropriè moveri, quando corpus, quo cum re idem quid est, movet, quemadmodum in artificialibus nauta, movens navim, simul moveri videtur; sufficit tamen quòd primò & per se, adeoq́; prout motrix causa existit, nondum moveatur, atq́; mobilis denominetur, quô relictô, restat motum subjectum saltem mobile denominare. Vel summatim Natura corporis interna consideratur vel* materialiter, quô sensu constare materia & forma intelligitur; *vel* causaliter, prout virtutem efficientis *exercet. Quod si ergò motus ascribendus sit naturæ tanquam ei, quæ moveatur hoc ipsi convenit ratione fundamenti, id est, subjectum movetur; quia verò ipsius vis quâ causa efficiens est, eadem judicatur cum actione superioris causæ; utiq́; motus, si huic tanquam actio, rationi agenti attribuitur, tunc non propriè materiali ipsius simul & eadem ratione deputatus judicetur.*

Sed pluribus supra, ubi sæpius inter materiale & formale naturæ distinctum fuit, quod sufficit, iterum dicimus, ut Natura movens denominetur, materiali motô.

Dubium

Dubium 19. Quid de velocitate & tarditate motus sentiendum, an sint motus proprietates, seu modi proprii, nec ne: affirmativam n. dissuadet hæc ratio: velocitas & tarditas non conveniunt motui absolutè, & ex se, sed in comparatione, quando scil. motus confertur cum alio fluxu, qui difficilius terminum consequitur, ob majorem resistentiam velox dicitur, hic verò tardus: Ergò velocitas & tarditas sunt modi motus accidentarij, ita nempe, ut ad motum nihil referat, sive velox, sive tardus sit. Deinde aut ambæ conveniunt motui physico hujus loci, aut alterutra, aut neutra. Non ambæ: nam repugnat idem simul per se velox esse & eo ipsô etiam tardum: non alterutra, nam, negatâ alterutrâ, negatur altera ideo, quia se mutuò respiciunt, & sanè non posset cogitari de quopiam celeritas seu velocitas, nisi esset tarditas ac vice versâ: ergò motus physicus neq; velox, neq; tardus ex se & sua na-

tura erit. Deinde posito, velocitatem ac tarditatem in motu observandam venire; eæ tamen videntur potius virtuti moventis, quam motui ascribendæ: movens n. dicitur vel velox, vel tarda, exinde quoq; conjici potest, ut ut illæ de motu itidem prædicentur, quàm communiter cùm moventem, tùm hunc respiciant, ex quo liquet ipsas non esse motus proprietates. Adversus negativam verò pugnat, quod illæ in motus successione dicant facilitatem & difficultatem, quando scil. motus facilè succedit, ut ad terminum, sine insigni partium resistentia perveniat, velox denominatur; quandoq; difficulter eodem terminus acquiritur, tardus appellatur: licet a. dicatur alterutram tantùm motui physico propriè convenire, sufficiet illam ipsius proprietatem esse?

Resp. Velocitas est modus, successionem motus consequens, quò, ut in dubio dictum est, motus facilitate absq; insigni impedimento. seu resistentia per spatium ad terminum pertingit: ***nam cujus partes***

minus

minus distant, in illo minor est resistentia, quò minus in eodem fluxus motus procedat & consequenter facilitas perveniendi ad terminum: atqui corporis h. l. continui partes minus distant propter continuitatem: ergo in corpore hujus loci minor est resistentia, quâ ægrius fluxus seu tendentia motus non absolvatur: ergò datur in motu facilitas perveniendi ad suum terminum, quæ nihil aliud, quàm velocitas est. *Quod autem tarditatem attinet, illa* non est hujus *loci (nisi velis velocitatem tarditatem vocari* ratione motus substantiarum spiritualium, qui in instanti fit, *& nondum propriè motus est: quippe in cujus comparatione physica velocitas tarditas est) sed* pertinet potius ad partem specialem estq; ibi corporum impuriorum, utpote *in quibus major resistentia partium causa tarditatis est, quæ corpori nō tàm* propriè & per se *convenit, quàm* propter impuritatem ac diversitatem partium, quæ sunt disparis inclinationis. *Adde quod tarditas in motu physico non nihil imperfectionis importet, consistit n. in difficultate aliquò tendendi, quod negat debitam attributi naturalis perfectionem, præsertim v. eam in corpore continuitatem, quæ in discretam adeoq; destructivam partium distantiam ac multitudinem abire prona est. Ad rationem velocitati contrariam respondemus,*

mus, hanc (velocitatem) considerari bifariam: absolutè, prout scil. consistit in facilitate tendendi: *& hac consideratione motus, seu successionis proprius modus est: deinde* respectivè, scil. ratione tarditatis, quæ ipsi opponitur, *atq; sic naturam comparatorum, præsertim si spectatur in comparativo, quâ velocior dicitur v.g. hic motus aliô, sortitur, non obstante, quòd motui absolutè conveniat tanquam proprietas, sed peculiaris modus. Deinde velocitas in sensu isthoc comparativo non potest absq; tarditate attendi: attamen in absoluto, quô motus modus erat. Virtuti deniq; agentis ascribitur tanquam* causæ instrumentali motoris, *si virtus illa sumitur* pro secunda specie qualitatis: Quando verò virtus est actio agentis nihil aliud est, quàm motus, *atq; sic iterum motui attribuetur, dum virtuti agentis ascribatur.*

Dubium 20. An motus triplex sit nempe pro triplici terminorum, qui motu acquiri possunt, differentia; & porrò an plures motus non sint præter tres; item an tres illi posśint in parte generali corpori adæquatè asśignari: quod triplex sit, patet inductione terminorum, quales sunt Quātitas,

titas, Qualitas, & Ubi; per Augmentationem, Alterationem & Lationem acquirenda; contra affirmativam verò est, quod objectum sit unum, cui motus hoc locô convenit, inde congruum est, motum quoque multiplicem in generali ipsius conceptu nondum esse, & positô, ejusdem species dari; duæ tamen propriè erunt; quia Ubi est, ens relativum, ad quod motus non est, ut mox patebit. Porrò quòd præter tres; plures non sint, constet remotione reliquorum entium prædicamentalium, ut sunt: Substantia, quæ cùm non acquiratur successivè, sed in instanti, neque ad ulteriorem perfectionem, aliquâ scil. substantialis formæ essentiâ præexistente, producatur, motum nullum sibi vendicat: Relatio, ad quam non datur realis mutatio, qualis tamen motus est. Actio & Passio, quæ cùm nihil quàm motus sint, motusque motus non sit, ne processus in infinitum detur, termini motus itidem non sunt, quibus

diversæ motus species constituantur: Quando, quod pertinet ad tempus, quodque non motus, sed hujus mensura est: atque tandem Situs & Habitus, qui ob minimam, quam in subjectis sortiuntur entitatem, peculiarem motus speciem pariter non faciunt; obstat autem, quòd in substantiæ generatione prius & posterius detur, quale mensura motus est subinferens, motum quoque in genere substantiarum dari; quô obtentô, plures quàm quatuor erunt: prius & posterius in eadem dari patet; quia introductionem formæ substantialis prævia materiæ dispositio anticipat: hinc simul corruet ratio, superius pro negativa allata. Denique, quòd tres illi motus, ut sunt: Augmentatio, Alteratio & Latio, in parte generali corpori adæquatè conveniant, inde deducendum est: termini, ad quos hi sunt, corpori adæquatè conveniunt: ergò, & motus qui ad censum eorum referuntur; ex opposito autem erat, quòd omnes illi termi-

ni

ni per productionem in instanti corpori, generaliter spectato, secundum debitam perfectionem convenerint, ut id nullâ specie motus opus habere intelligatur. Et concessô, Alterationem singulis corporibus physicis competere, ac proindè corpori in genere asignari posse: idem tamen non poterit statui de reliquis Motus speciebus, in ceu superioribus quoq; dubitatum fuit: nam quædam saltem corpora, ubi mutant; cœlo verò hoc nequaquam cōvenit: sic augmentatio quoque sese habet: ergò corpori hi motus adæquatè non conveniunt?

Resp. Sequimur sententiam, ubiq; affirmantem ob rationes, in dubio huic faventes; scil. quòd tres, neq; plures, neq; pauciores motus species, eaq; adæquatè corpori convenientes, ac proinde in hac physicæ parte attendendæ dentur. Ubi restat ad opposita ancipitis sententiæ fundamenta respondeamus, ac primò quidem negamus ab unitate objecti motus unitatem ita dependere, ut illô in genere uno, hic quoq; unicus sit per negationem diversarum specierum, modò recensarum: sicut n. linea, superficies, & corpus, Quantitatis species, atq; potentia naturalis; patibilis qualitas,

nec non figura, species Qualitatis sese in generica scientiæ physicæ parte ad corpus adæquatè habebant: ita etiam enumeratæ species, sub motus conceptu generali collocatæ, vice generalium affectionum corporis naturalis æquè funguntur, uti ultimò etiam indigitabitur. Deinde quod ubi spectat, distinguendum est inter essentiam, quæ in nuda ad aliud relatione consistit: & quæ præter respectum, quem connotat, aliquid absolutè est. *Ratio contra Ubi de illa procedit, negamus verò quòd de hac posteriori, in qua Ubi collocari certum est, nec minus indubium erit in doctrina subsecutura, de Loco. Quid? Quòd motus localis omnium nobilissima ac notissima species sit, ceu pluribus infra patebit. Ad id porrò, quod de generatione objectum fuit, dicimus, generationem dupliciter sumi:* latè & impropriè, quatenus includit prævias dispositiones, per quas materia disponitur ad introductionem formæ. *Deinde* strictè & propriè pro ipsa introductione formæ substantialis. *In ea datur prius & posterius, primô modô accepta, de qua non sumus solliciti: quia in hac significatione non una per se mutatio est, sed partim generatio, quæ fit in instanti; partim alteratio, quæ motus ad qualitatem est; in altera vero significatione nondum locum habet quod objicitur, unde dis ri-*

discrimen inter formas acquirendas per motum, & per generationem, quòd scil. per motum acquirendæ divisibiliter *comparentur; formæ autem,* per generationem obtinendæ, in indivisibili *consistant*, & ideò in instanti fiant; *relinquitur ergò generationem accuratè loquendo ad censum motuum nequaquam pertinere.*

Quod ultimam attinet, dicimus, termini motuum, ad quod ordinantur, considerantur bifariam: ratione productionis: *atq; ita concedi potest,* longas motuum illorum tendentias priusquam corpori inessent nondum præcessisse, *sed hos (terminos) in* instanti *comproductos intelligi; deinde ratione* successivæ conservationis, & perfectionis ulterioris, *quô sensu quilibet fluxum suum includit seu connotat: quia fluxus, datô termino in actu & perfectione debitis, tanquam motus formâ superveniente limitatur, seu determinatus, atq; ideò, quia nullum determinabile determinatumq; tollitur determinante, nequaquam de mobili negatur, sed potius mobile mobile denominat. Summatim insunt motus species omni & soli corpori* quoad actum primum *qui determinatur formâ seu termino ad quem, quô minus ad actum secundum fluendi procedatur, ita tamen, ut primus ille statim in secundum deduceretur,*

quod si terminus privationem sui; vel aliqualis perfectionis suæ pateretur: licet non insint quoad secundum, *quippe quod non requiritur, ut aliqua affectio subjecto verè & adæquatè attribuatur. Notetur ergò, quod hæc proprietatum declaratio in similibus quoq; procedat: nec n. aliter ratiocinari possumus, si quam affectionem subjecto convenire statuendum venit, dum eidem in actu secundo non valet ascribi, quàm quod ideò hæc ipsi in primo actu conveniat: quia ad secundum, si deesset, quod hunc ipsum, dum adest, non admittit, statim consequentia daretur, ut idem, quippe, quod per secundum illum recuperari potest, adesset, declaramus rem exemplò: unde intelligam aquæ, dum frigiditatis proprietatem, sibi in debito perfectionis gradu vendicat, motum alterationis ad perfectiorem frigiditatem acquirendam natum, in actu primo convenire (non n. in actu secundo eidem tùm competit; quia aqua illius terminum, debitam frigiditatis perfectionem possidet)nisi, quòd, si calefieret(quô positô, debitus frigiditatis gradus & perfectio tolleretur) motus alterationis, qui, antequam aqua nonnullam frigiditatis carentiam sustineret, actu primo inerat, actu secundo eidem competeret, ut pristinum frigiditatis gradum, tanquam sibi convenientem, Natura recuperaret, quia aliâ ratione*

tione illum nondum obtinere valeret? Hinc ergò concludendum, quòd omnis motus species corpori naturali eandem ob causam in actu primo assignanda veniat, utut terminos in debita perfectione possideat: quippe tàm provida fuit natura, ut corpori impertiret, quô id, si quid perfectionis accidentalis amitteret, gradum revocare posset.

Dubium 21. Restat de Tempore dubitasse, quidni scil. certa motus species ad illud acquirendum statuatur, quùm tamen id æquè corpori tanquam certa affectio, competat, nec minus, quàm vel Quantitas, vel Qualitas, vel Ubi succesivè acquirendum sit: an forsan ideò, quia tempus est mensura motus, atque cum motu incipit, nec proinde motuum alterutrâ specie, tanquam terminus quispiam, posterior esse valet?

Resp. Aliud est statuisse ad quot terminos motus per se sit: *& aliud* ad quot entia seu accidentia motus per accidens esse posit. *Trium saltem generum motus per se tales esse obtinuimus; nunc verò nihil obstat, quo minus concedatur, tempus quoq; & alia accidentia, per se peculiarem motum non requiren-*

quirentia, per accidens motum sortiri, ubi tamen dicendum, quòd motus ille, qui per accidens tempori tribuitur, pertineat ad tres species superius enumeratas, nec peculiarem, scil. quartam speciem sortiri, præsertim ad Quantitatem quemadmodum, ipsum quoq; accidentaliter ad eandem reduci valet. Ratio verò opposita, non exprimit, quare ad Tempus acquirendum per se motus sit: nam non, quia quid propria corporis affectio est, *certa & distincta ad id obtinendum tendentia per se datur, sed* quà affectio corporis quoad ulteriorem perfectionem motu ita posterior est, ut ejusdem distinctus terminus, qui acquirendus est, evadat

Dubium 22. Assertum supra fuit, ad Quātitatem motum esse, qui vocatur Augmentatio, id quod inde quidem constare videtur, quia Quantitas successivè transit de minori ad majus: interim obstat etiam, quòd Quantitas materiæ coæva sit, adeoque terminus motus, certusq; motus hujus, tanquam termini, esse nequeat?

Resp. Triplex præsertim conditio ad motum requiritur, ceu ex antecedentibus colligere fuit: Ut scil. transeat ab imperfecto ad perfe-

perfectum terminum: ut hoc fiat successivè, & non in instanti: utq; reali mutatione, quâ subjectum sese aliter habeat, quâm antequam moveretur, nō a. fine hac subjecto adveniat. *Quodsi igitur de Quantitatis motu agendum venit, videmus omnes has conditiones ipsi competere; quia n. in genere Quantitatis majus & minus datur; illud terminus augmentationis ad quem, hocq; à quo est. Quia deinde in Quantitate est positio partium extra partes: utiq; erat, cur motus ipsius non nisi successivus dici queat. Quia deniq; ante motum subjectum minus dicendum, post eundem verò majus seu maximum, quid deerit, quò minus reali mutatione subjejectum sese aliter atq; aliter habere existimetur, dum propter Quantitatem acquirendam moveatur?*

Quod autem Quantitas materiæ coæva sit, sit, ut sit: nihil n. obstat quò minus ad eandem obtinendam subjecto motus, si non in actu, præter primum, secundo; in primo sâltem tribui debeat. *Deinde coævum esse de Quantitate bifariam intelligi potest:* prout est à materia adeoq; à toto corpore inseparabilis: *& hoc verum est, sed non tollit motum: quia ad hunc, ut detur in genere ipsius, sufficit, si quoad aliqualem perfectionem, quæ, acquirenda, terminus evadit*

evadit ad quem, eadem deesse potest, vel porrò quòd motu perfectior acquiri nequeat, *& hoc falsum est : quia potest deficere. Terminus deniq; motus est non* quoad qualemcunq; sui essentiam, *sed quoad ulteriorem perfectionem.*

Dubium 23. Reliquitur incertum utrum Augmentatio vera species motus sit, ex negatione proprii consequentis quòd suprà motui tributum fuit, sc. Continuitatis : nam quod neque à priori neque à posteriori continuus motus sit, inde probatur : à priori dantur dispositiones, quibus id, quod augeatur, ad augmentum prius disponitur & deinde augetur, à posteriori verò datur ejusmodi augmenti terminus, quem res longè ante durationis periodum assequitur: ergò deest conditio continuitatis, nempe tempus: Deinde verò negatio continuitatis suspecta redditur ex continuitatis illius affirmatione : nam cujus partes indivisæ in fluxu physico sunt: id est continuum, quod planum: at verò partes

partes formæ, quam augmentatio acquirit (scil. Quantitatis) & cõsequenter etiam tendentia ipsa, indivisæ inq; interrupto fluxu sunt ceu superius ex doctrina Quantitatis innotuit: non enim discreta Quantitas corporis naturalis affectio erat, sed continua, non divisa, sed divisibilis: ergò uti partes formæ acquirendæ, quæ est Quantitas, communi terminô copulantur: ita quoque fluxus seu motus hujus, qualis Augmentatio nuncupatur continuus erit & certè nisi Augmentatio, statueretur continua, physica motus species non esset: quia à continuitatis (seu unitatis physicæ) negatione, ad essentiæ inficiationem consequentia valet?

Resp. Augmentatio, sicut & quævis corporis naturalis proprietas, consideratur bifariam: quoad actum primum; prout secundum illum corpus natum est augeri: *&* deinde quoad actum secundum per quem actu augetur: *In priori consideratione Augmentatis falsum est, continuitatem ipsi nondum*

dum assignari: nam omnes eidem conditiones hujus proprietatis conveniunt, uti sunt unitas temporis, spatii, formæ & mobilis; incipit enim cum corpore naturali in actu isthoc existere, neque desinere in eodem quantisper illud durat, atq; continuum mobile est.

In posteriori argumentum negativum concedere possumus ita tamen, ut distinguendum iterum sit, inter continuitatem adæquatam, & in adæquatam. *Augmentatio, quoad actum in corpore primum & secundum simul sumptos, à q; priori & posteriori periodis durationis non respondet, ut argumentabamur in dubio, atque ideò non adæquatè continua est, interim verò continua erit secundum quid, ac inadæquatè, quemadmodum etiam motus corporis secundum quid est, de quo tamen non sumus hoc loco solliciti: quia declaramus motum, adæquatè corpori tribuendum. Relinquitur interim, quòd motus Augmentationis in actu primo, sive continuitatem desumat* à rei duratione, & perpetuitate, *sive* à quietis intervenientis, *utpote quá interruptus evaderet*, inficiatione, *&c. continuus sit & quidem per rationes, inter alias, indubie allatas.*

Dubium

Dubium 24. An ad Qualitatem certus motus ſit, nempe Alteratio nam præterquam quòd Qualitas formæ non ſecus, ac Quantitas materiæ coæva ſit, non admittit ex ſe perfectum & imperfectum: eſt enim forma quædam ſimplex, quæ, ut communiter aſſeritur, in indiviſibili cōſiſtit, & licet in gradus dividatur, illud tamen ipſi non per ſe & ratione eſſentiæ, ſed per accidens & ratione ſubjecti, in quo magis magisq; radicatur, competit. Hinc ſi vel maximè perfici dicatur, & quidem perfectione graduum, motu peculiari acquirenda, illud ratione ſubjecti tantum verùm erit, atque ita an Qualitatem non dabitur motus per ſe. Adde, quod ſi detur iſte motus, continuus non ſit: quia, antequam incipiat, diſpoſitio præcedit, ſicut ſcil. de Augmentatione dictum fuit. Item: fit in inſtanti, ſic aer in inſtanti illuminatur: ergò, &c. Ex oppoſito ſtatuitur Qualitatis peculiarem proprietatem eſſe intendi & remitti: ergò datur per-

fectum & imperfectum per se Qualitati convenient, neque enim secus sese ulla rei proprietas habet. Idem quoque pro continuitate ipsius valet, quod ad demonstrandam continuitatem Quantitatis adductum fuit?

Resp. Tota ferè hujus dubii decisio peti potest ex duobus antecedentibus, mutatis mutandis. Addimus autem pro imperfecto & perfecto de Qualitate asserendis, ut ad hoc Alterationis motus credatur, hanc explicationem: Qualitas consideratur bifariam; præcisè, utque est simplex quædam forma accidentalis, & subjectivè, prout scil. corporis naturalis affectio est. *Quatenus præcisè spectatur, à perfecto & imperfecto præscindit & eatenus non intelligitur, ad ipsam acquirendam motus esse, ceu in dubio vidimus, sed hæc consideratio non sufficit hac vice: quia Qualitas hîc peculiare corporis attributum evasit.*

Quoad alteram ergò considerationem, hujus loci est, in qua perfectum & imperfectum, locum habet, adq; quorum illud mutatio Alterationis est. Nec porrò existimandum venit intensionem ipsi per accidens convenire, quia ei competit ex parte subjecti, nam quemadmodum Qualitas à subjecto essentiam habet:

bet: ipsius enim esse est inesse: ita ab eodem intensionem quæ modum alterationis exprimit, sortitur. Summatim dicendum est, duo in hac consideratione Qualitati ascribenda venire intensibilitatem, *&* intensionem. *Utraq; ipsi convenit, quatenus in subjecto perficitur: illa* tanquam proprietas, *quâ nata est intendi posse, hæc* tanquam motus, *Alteratio nuncupatus; & quidem per se, licet non nisi prout in subjecto existit, sicut etiam à subjecto est, quicquid est. Sit etiam dispositionem alterationem anticipare, illa hujus, secundum quid continua, terminus à quo dici poterit, non obstante, quòd porro continuus motus dici possit, dum, postquam inceperit ab eo, cotinuitate graduum in perfectum terminum promanat, atq; eo motus speciem sumit.*

Negatur deniq; alterationem fieri in instanti: nam successio est vel velox, *vel* tardior: *hæc motui convenit ob* majorem partium resistentiam, *illa* ob minorem. *Quod v.g. illuminationem aeris attinet*, non ideò desinit successivus dici, *quia tam sensibiliter motus ad lucem introducendam non procedit*, sed singulari velocitate absolvitur, salva interim successione quali quali, *eaq; propterea, quia in illuminato datur positio partium extra partes, quæ cuiuslibet motus*

successionis causa est, uti supra de successione innuimus.

Dubium 25. An sit motus ad Ubi, seu ad Locum: contra affirmativam enim est, quòd, si ad Ubi motus sit, ad Situm itidem motus quispiam fuerit; quia par est ratio; atqui ad situm non est motus, sicut supra vidimus: Ergò. Deinde sit, quòd Latio ad Ubi detur; hoc tamen non poterit ipsius adæquatus terminus esse: quia motus ille est in vacuo quoque, ubi nullum est ubi. Adde quòd motus, si ad ubi, seu locum sit, non fuerit inmobili: quia erit acquisitio termini, qui est in corpore locante, non locato. Contra negativam pugnant ea, quæ ad motum constituendum acquiruntur, uti sunt successio, transitusque ab imperfectiori ad spatium perfectius &c. quæ omnia motui locali conveniunt: nam vel ad sensum patet, quod corpora ad perfectius ubi successivè tendant. Item: quia datur in corpore resistētia: utiq; compe-

competit huic quoq; loco successio, nisi verò successiva illa progressio in perfectius tenderet, natura frustra operaretur, dum motum causaret nullius usus, quod falsum?

Resp. Certum evadit, per rationem in dubio contra negativam sententiam, allatam, peculiarem ad Ubi tendentiam seu motum, qui scil. Latio appellatur, dari. Argumenta 4. dubitandi superius adducta nihil efficiunt: nam licet ad situm nondum per se *motus sit, propter causam in antecedentibus significatam, nihil obstat, quò minus motus ad Ubi detur: forsan quia situs non tantùm* res minimi essentiæ momenti est, *sed etiam* non facilè ab Ubi distingui valet, *præsertim si, non* externam, *sed* solam illam internam partium dispositionem *sumamus,* quæ ab habitudine ad alia corpora universi, in qua nimirum externa collocatur, præscindit: *utiq; ergò situs ad Ubi reducitur, quod si statuatur ad illum mutationem esse: talis nempe ad eundem erit non* primò & per se, *sed* per accidens; *Ubi, ad quod illa motus per se est. Deinde in vacuo non est motus, neq; ubi* per corporis ambientis circumscriptionem, *sed si detur corpus extra omne ambiens, moveri tantùm intelligetur,*

per comparationem ad polos mundi & centrum terræ; *vel* tantùm natum erit moveri juxta actum motus primum. *Quod spectat argumentum de Loco, utpote qui, si ad se motus quispiam sit, illum extra corpus mobile collocaret, ut ita non posset propria illius actio dici, respondemus, licet, Ubi & Locus in physicis* æquivalenter *sumi soleant, distinguendum tamen est inter* Ubi; *&* extrinsecam corporis locantis superficiem. *Terminus motus localis non est ipsa superficies corporis ambientis: aliàs, concedo, ratione termini motus localis non esset* inhæsivè *in subjecto; sed Ubi, seu existentia in spatio circumscriptiva, quæ nihil aliud est quàm modus quidam, quem sortitur Quantitas rei mobilis, prout nunc huic, nunc illi parti spatij, sive veri, sive fictitij respondet. Constat a. hoc, quod superficies extrinseca non sit terminus motus, exinde: via non potest esse in uno subjecto, nec minus in alio: est n. nihil aliud, quàm intrinseca acquisitio & dependentia ejus rei quæ fit: at locus est via: Ergò.*

Dubium 26. An motus localis motuum primus ac potissimus sit: obstant n. termini, quorum ii, qui sunt augmentationis atque alterationis, priores sunt, quod ex dispositione prædi-

prędicamentali notet, exq; antecedentibus satis conspicuum evadit: hinc n. concludi valet, motus quoq; ratione prioritatis sese non aliter habere, sed ita, ut talis motus omnium postremus sit. Affirmativam interim an tueatur hæc ratio: Motus localis prior est ratione independentiæ: quia potest esse sine aliis, alii verò non sine Latione, sic Alteratio fieri non posset, nisi causæ alteranti locô conjungeretur res alteranda. Deinde ratione causalitatis; quia reliqui motus ab hoc, tanquam à causa oriuntur. Ac deniq; ratione cognitionis: est n. omnium notissimus, propterea, quia ad exteriorem terminum pertingit, reiq; per diversa spatia latæ insignem facillimeq; perceptibilem mutationem imprimit?

Resp. Motus, & quidem secundum actum primum intellecti, considerantur vel ratione causæ moventis, à qua originem sumunt; *vel* ratione subjecti, quod æquè afficiunt, ut juxta illos id moveri aptum sit; *vel* ratione generis, sub quo distinctæ species sunt; *vel* ratione terminorum, quos ac-

quirunt; *vel deniq;* ratione seu respectu ad se invicem.

Juxta omnes, si duas postremas considerationes excipimus, singularis prioritas inter eos deest: tàm æquè enim unus à natura fluit, quàm alter, nec minus unus subjectum afficit, quàm cæteri: generi etiam non analogo; *sed* univoco *substernũtur, atq; ita de eodem æqualiter participant: Eorundem termini verò, quod notum est, sunt ita comparati, ut unus altero prior & potior sit: nam* ordine naturæ atque prærogativâ entitatis *Quantitas ac Qualitas (quarum illa Augmentationis; hæc Alterationis est) Ubi, quod Lationis est, superant: quia illæ sunt entia* primaria *in genere attributorum; ubi verò* secundarium. *Quod si igitur motus eorundem, prout illis determinati sunt, spectemus, Latio, quoad suum Ubi, reliquis cedit.*

Quatenus deniq; respectu ad se invicem ita attenduntur, ut unus deprehendatur ab alio dependere, seu alterius indigere: ille prior ac potior erit, qui tunc percipitur tanquam independens: atq; ita Lationem sese habere statuendum veniet juxta rationem superius allatam, observatô hoc dependentiæ discrimine: reliquæ motus species à Latione dependent, non tanquam à causa revera influente, seu tanquam à suo termino à quo; *sed*

tan-

tanquam à conditione & requisito: *Et hoc certum vel inde evadit: nullus motus est causa motus; vel terminus motus: illudq; ideò: quia nulla actio (qualis est quilibet motus) talis est: aliàs actionis daretur actio, quod falsum: hoc autem propterea: quia nec motus motus est, quod contingeret, si quis alterius à quo terminus esset. Ergò relinquitur quod Latio saltem quadam conditio ad alias motuum species necessaria, dici mereatur. Cui ut in dubio erat, prioritas* cognitionis *accedit, ut ita pro diversa consideratione latio prior reliquis appellari debeat, non obstante, quòd, ut opposita dubitandi ratio intendebat, idem per terminum, accidens secundarium, aliis posterior sit.*

Dubium 27. An oppositum motus sit *Ἀκινησία*, immobilitas: obstat enim talis causa: oppositum motus privativum, non negativum, quærendum hoc loco est: immobilitas autem est pura motus negatio: negat enim actum & potentiam mobilitatis in subjecto. Ergò. Affirmativam tamen poscit ratio dissentanea, quòd scil. nullum aliud motui aßignari possit, nisi immobilitas isti tanquam op-

positum aſsignaretur: nam reſtaret Quies, quæ tamen non privativè, ſed per modum diſparatorum motum reſpicit, unde motui propriè loquendo tanquam oppoſitum attribui nequit?

Reſp. Ἀκινησία *ſeu immobilitas ſumitur trifariam: pro* omnimoda motus negatione, quâ ſcil. rem moveri vel mobilem eſſe impoſsibile eſt, ὥσπερ ὁ ψόφος ἀόρατος, *dicente Phil.: Deinde* pro tarditate ſeu nimia movendi difficultate, quâ quid ægrè movetur, *v, g. claudus, infirmus & res gravi pondere gravata immobiles dicuntur: denique* pro negatione actus motus, ſcil. ſecundi, qua quid non movetur tunc, cum natura aptum & ubi & quomodo. *Huic triplici acceptioni immobilitatis, in Philoſopho fundatæ, addere lubet quartam*, quâ ſcilicet immobilitas ſumatur pro negatione actus primi & ſecundi motus, remanente tamen in movente & mobili nudâ δυνάμει utriusque privativa, quæ, dum neque actus primus, neque ſecundus motus eſt, tamen ab utroque perfici ac determinari poſſe intelligitur, *quemadmodum v. g. negatio privativa formæ ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis*

lis talem aptitudinem involvit, utpote quale à simplici negatione distinguitur, quæq; nec actus habitus seu forma primus neque secundus est, ut: in materia est aptitudo recipiendi formam substantialem, sed hæc non est actus primus hujus formæ, sed δύναμις materiæ, quâ utrumq; actum formæ recipere nata est. Quod igitur attinet præsens dubium, dicimus immobilitatem non sumi pro simplici negatione: uti ratio dubii obtinuit: nec pro difficultate: hæc enim non tam motui, quàm attributo velocitatis motus opponitur: nec pro negatione actus secundi; quam Philosophus Quietem vocat: quia non opponitur motui adæquatè, & in se considerato, sed indirectè & accidentaliter (scil. secundum accidens actus secundi) spectato. Verùm sumitur à nobis in ultima significatione, utpote quâ utriq; motus actui privativè opponitur: hinc quid ad oppositum argumentum dicendum manifestum evadit, de Quiete verò infra dicturi sumus.

Dubium 28. An singulis quoq; speciebus motuum peculiaria attribui possint opposita: contra negativam est, quòd detur oppositum genericum: hinc enim specifica dari certum

tum evadit, quemadmodum aliàs quoque indubium est, ubi conceptum genericum in suis specificis fundari asseritur. Contra affirmativam autem est, quòd licet augmentationi nominatim decretio opponatur, reliquæ tamen species nullos agnoscant terminos, quibus eorum adæquata opposita exprimantur. Deinde quod porrò decrementum attinet, notum est, id speciebus motuum annumerari: quia non dicit, nudam augmentationis privationem, ut hoc pacto hujus oppositum sit, sed fluxum ad minorem Quantitatem positivum: quapropter nulla in universum species motus singulare oppositorum noema sortietur?

Resp. De oppositis motuum, utrum in specie dentur, loqui possumus duplici modô: an quoad nomen & rem; ac deinde utrum quoad hanc *in physicis speciebus motuum assignari queant. Quod spectat priorem, concedimus Alterationem & Lationem destitui*

stitui oppositis, tàm quoad nomen, quàm quoad rem expressis; sed hac nondum causa est cur ipsis prorsum nullum oppositum assignari queat: sicut enim in disciplinis passim res dantur, nominibus peculiaribus destitutæ (sunt enim plures res, quàm nomina) ita multa opposita reperiuntur quæ nominibus carent, id quod vel hac vice contingit, ubi Alterationis & Lationis voces, adæquatè opposita earum notantes, ægrè adduci valent.

Interea certum, est per rationem in dubio allatam quamlibet speciem motus, peculiare seu specificum oppositum sibi vendicare, quoad rem seu significatum *dubitando, & quidem tale, quod, licet* nomine proprio *vix notari queat:* circumscriptione tamen innuendum *venit: alterationi n. opposità intelligitur* ἀκινησία *seu carentia tendentiæ in perfectiorem Qualitatem, Lationi a. carentia acquisitionis Ubi. Decrementum verò seu decretionem quod concernit, consideratur illa bifariam:* inchoatè; *&* prout est consummata, *licet priori modò possit reduci ad Augmentationem: quia non nihil fluxus positivi importat, interim posteriori in carentia fluxus, qui est ad perfectiorem Quantitatem consistit; vel decretio atten-*

cretio. Item decretio erit certa motus ſpecies: quia dum non pertinet ad oppoſitum unum ad oppoſitum alterum ſpectabit. Sin illud obſtabit hoc quòd terminus ipſius ſit naturalis & quod proficiſcatur à principio naturæ interno &c.

Reſp. Terminus ille Quantitatis minor conſideratur bifariam: reſpectu majoris, qui eſt contra naturam mobilis & reliquorum motus requiſitorũ: *&* reſpectu naturæ cui debebatur, minorisq; alterius cujusdam qui eſſet contra ejusmodi naturã. *Licet in decretione iſta minor terminus Quantitatis minor ſit ratione Quantitatis contra naturam majoris, major tamen immò maximus eſt naturæ mobilis, majorq; reſpectu ſe minoris: hinc quia talis decretio eſt ad perfectiorem Quantitatem: utiq; non tàm* decretio *quàm phyſica* Augmentatio *dicenda venit: quia per eam natura movens ad priſtinum Quantitatis terminum, gradum revocat. Erit tamen motus* ſecundum quid *non naturalis, ac proinde non propriè hujus loci, idq; ideò: quia, licet terminus ad quem, qui eſt minor iſta Quantitas; naturæ tamen conveniens majorq; reſpectu ſe minoris,*

uti

uti dictum fuit: terminus à quo naturalis non est: qui aliàs in motu merè naturali, ceu ex antecedentibus liquit, naturale requisitum erat. Hinc fit, ut, nobis motum in terminis naturalibus attendentibus, hæc mutatio hîc minus sub considerationem cadat. Sed tantum de natura motus.

DUBIA
De
QUIETE.

Dubium 1. An Quies corporis naturalis propria affectio sit, ceu conjicitur ex communi Naturæ definitione, in qua hæc motus & Quietis causa appellatur, quod scilicet fieri non posset, si Quies non affectio positiva, eaq; propria, corporis esset: nam Natura duntaxat harum efficiens causa est; an vero obstet duplex illius declaratio, dum partim motus privatio, partim ejusdem perfectio dicitur, uti videre est apud Philosophum 5. Phys. c. 6. t. 53. Item quod non omni corpori naturaliter conveniat?

Resp. Quies bifariam attendi potest: ratione sui subjecti, vel etiam principii, à quo promanat, quale est natura: *deinde* ratione affectionis subjecti, utpote motus. *Si priori modo attenditur, neque privationis; neq;* perfectionis *motus nomine venire debet.* Non illius, *quod probamus: importat enim*

hac consideratione effectum Naturæ, quòd iterum constat è naturæ definitione, ceu rectè in dubio significatum fuit, estq; porrò in statu denominationis subq; ratione afficiendi subjectum, quō sensu scil. affectio corporis naturalis dicitur, atque infra patebit, in quo consistat. Ergò hoc modo non dicit privationem, seu defectum, videlicet sub statū oppositionis, in quo aliàs cum motu sit. Non hujus: *quià tunc à motu præscindit, & ordinatur solummodò ad subjectum cujus est essentiale consequens. ergo ad illum hoc pactō sese nondum habet instar attributi seu modi perfectivi; sed taliter potius ad subjectum, quod est corpus naturale. Occurris: est terminus & complementum motus: ergò perfectionem infert respectu ipsius: Resp. Quomodò ad motum Quies se habeat jam mox indigitabitur, interea censemus distinguendum esse inter* id quod motus & Quies sibi vendicant per se & primariò, *&* quod per accidens ac secundario sortiuntur. *Quod Quies motus perfectiō & complementum sit, motusq; Quietem pro nullo alio agnoscat, non per se, sed per accidens fit, non secus, atque alia quoque corporis naturalis affectiones motus perfectio sunt, dum primariò ad id destinata intelliguntur, ut corpus afficiant & perficiant. Hacq; de Quiete vera sunt si consideratur, prout confer-*

tur

itur cum subjecto hujusque interna natura. Si posteriori modo spectatur, nempe respectu motus, idipsum utiq; bifariam contingit: in se & formaliter; atq; deinde quoad nos, relatè. Priori modo iterum neq; privatio, neq; perfectio motus est. Non illa: excitat n. sui appetitum: ergo. Nec hæc: quia est affectio motui disparatè opposita, quæ corpori Physico (modò, quô Proprietates solent) simul cum motu semper convenit: ergò motus in eam, ut sic, corpori acquirendam & quidem tanquam sui perfectionem, antea in corpore nondum acquisitam, non dirigitur.

Si posteriori modo attenditur, dicendum est cum Philosopho ipsam privationem vocari posse: nam cùm nobis motus maximè motus sit, ex ejus remotione facilius potest cognosci Quies, quàm per propriam formalitatem. Hinc Averroës dicit: comprehensio Quietis est per comprehensionem privationis motus. Hisce ita declaratis, concludimus primariam Quietis considerationem esse omnium superius declaratarum primam; posteriorem secundariam, seu accidentalem. Ad autoritatem Philosophi satis è dictis responderi valet: vocat nempe Quietem privationem quoad nos, non verò formaliter, ac proinde talis consideratio est in illo cap. non primaria, sed secundaria, vel posito, ipsum existimasse Quie-

tem nihil præter oppositum motui privativum esse, sumpsisset terminum Quietis in alio sensu, quàm sicuti hoc locô accipiendus est, quia positivam corporis naturalis affectionem, quam præter reliquas sibi vendicat, dum in esse suo perseverat, commodiori exprimere non vacemus. Quamvis autem non omni corpori actu secundô *conveniat, tamen sufficit,* si primô: *quia de hoc præcipuè proprietas intelligi debet. At verò, quòd primus omni corpori competat, constat inde: corpora partim actu secundô quiescunt: partim non; de illis non est dubium, quin in iis primus actus Quietis reperiatur, utpote in quibus est secundus: nam â secundo ad primum infallibilis consequentia est. Quæ verò actu secundo non moventur, habent nihilominus, unde tali quiescerent, nisi extrinsecum quid obstaret; nempe defectus seu carentia termini, per motum acquirendi, in qua, dum illum Natura per motum subjecto suo assequi annititur, actu secundô permanere & acquiescere recusat, ratio: quia si permaneret & quiesceret actu Quietis secundô, non perfectè quiesceret, eò, quoniam ad permansionem per Quietem nihil eorum, in quibus Naturæ permanendum, non requiritur. Quod verò habeant, unde quiescerent actu secundô, nempe actum primum in se possidendo ita demonstro: Quæ corpora possunt*

possunt habere omnes terminos, propter quos actu secundò moventur, eadem possunt actu secundo quiescere, nam Quies est perseverentia in termino acquisito: at corpora, quæ non actu secundò quiescunt, possunt habere omnes terminos, propter quos actu secundò moventur (moveantur, verbi gratia, quoad omnes motus species actu secundò) aliàs n. frustra moverentur, quod falsum. Ergò talia corpora possunt actu secundo quiescere, posse autem actu secundò quiescere, quid aliud est, quàm actu Quietis primò præditum esse?

Dubium 2. An essentia Quietis collocanda sit in perseverentia, seu permansione quâ natura terminô, per motum acquisitô, contenta est, inq; eodem consistit; an verò in termini illius possessione consistat: Contra prius est, quòd permansio sit modus Metaphysicus, qui prorsum remotè ad Quietem se habet, nec potest essentiam Quietis genericam in abstracto exprimere, sed tantùm in concreto cum reliquis modis transcendentalibus, & si Quies permansio sit, non erit accidens à corpore realiter distinctum, sed nudus modus. Præterea

non viderem quô pactô corpus mutationis obnoxium dici posset: quia permansio immutabilitatem notat, quemadmodum Deus permanens dicitur; quia prorsum immutabilis est. Addatur & illud, quòd permansio cum duratione idem sit, quarum tamen hæc non potest de Quiete dici, quia notionem temporis exprimit: Ergò. Affirmativa autem pro permansione seu perseverantia defenditur ex analogia motus: nam quemadmodum ille erat tendentia & successio ad terminum, ita ex opposito Quies est mansio seu perseverantia in termino, nec n. commodior illius declaratio exhiberi valet. Deinde quod spectat ad possessionem, non deest ratio, cur ipsam quoq; Quietis naturam exprimere asseramus: nam non multum à mansione seu perseverantia differt: Siquidem id, quod possidet aliquid, in eo permanet & quod permanet in aliquo, idem possidet. Item: motus consistit in acquirendo: ergò Quies in haben-

habendo. Motus terminus est terminus habendus seu accipiendus: ergò Quietis est terminus habitus. Præterea motus ad nullum entis genus præcisè pertinet: ideoq; Quies in tali quoque consistit conceptu, qui è serie postprædicamentorum sit. Sed convenientior non datur, quàm possessio termini, qui è censu ultimi postprædicamenti est. Ergò.

Obstat autem: quòd possessio non tàm fluxui, in quo motus collocatur, quàm indigentiæ termini respondeat, quæ motus naturam non importat. Deinde posidere de iis etiam dicitur quæ, dum posident acquisitum ulterius tendunt, quod à Quietis natura alienum?

Resp. Perseverantia, seu permansio sumitur bifariam: prout omnimodam immutabilitatem significat; quò scil. sensu etiā permanere dicitur quod nullius mutationis est obnoxium, *id quod κατ' ἐξοχὴν de Deo verum est: deinde* pro attributo, quò quid intra suos terminos sese continet, & persistit juxtaq; primò motus actu prædi-

tum, quò acquirendum assequi possit, id est, pro attributo, quod mobile permanens denominat, dum id terminum per motum acquisitum possidet.

Quies igitur non quidem definitur permansionem illius ; sed hujus significationis, & hoc ipsum per rationes in dubio pro affirmativa allatas.

Quando interim objiciebatur permanens, seu permansionem esse conceptum transcendentalem &c. dicendum, sicut successivum seu successio ad Philosophiam minus pertinebat, ceu supra dictum : ita nec permansio : quia in sensu (disjunctivo) quò sint affectio entis non possunt de utroq; analogatorum metaphysicorum affirmari : nam in genere substantiæ non datur substantia essentialiter, seu per essentiam *successiva, sed tantùm* per denominationem *accidentalem: & positô hos conceptus metaphysicos esse, distinguendum foret, inter permansionem* partis metaphysicæ generalis, & eam quæ in speciali ad inferiora determinata est. *Non prior, nempe latissimæ acceptionis, sed posterior Quietem exprimeret.*

Porrò quod abstractivam perseverantiæ vocem spectat, negatur ipsam de Quiete in sensu abstractionis dici non posse : quia Quies quoq; simplex forma seu modus est, de quo perseve-

severantia in termino enunciatur, nisi velimus distinguere inter abstracta ultimata & non ultimata; *abstractum n. horum sufficit, licet perseverantia illa tantùm de Quiete prædicata non sit illorum: sic possumus motum vocare successionem; ita tamen, ut ultimatæ abstractionis beneficiò modus seu ratio successionis à præcisò fluxu seu tendentia ulterius abstrahi non nequeat. Deinde certum quoq; est, Quietem per perseverentiam definitam, non esse* nudum modum: *quia duplicis actus affectio est, nempe primi & secundi, item, quia in ipsam ea quadrant, quæ superius de Quantitate declaravimus, ubi nimirùm obtinuimus, Quantitatem non esse nudum corporis naturalis modum, sed ejusmodi affectionem, quæ, tanquam peculiare ens, à suo subjecto distincta est.*

Nec denique sequitur naturale corpus mutationi minus obnoxium esse, si permansione in termino vestitum sit: namq; tantùm à nobis statuitur, quòd per Quietem seu permansionem corpus aptum natum sit in termino acquisitò permanere, & accedente actu permansionis secundò, ita in eodem permaneat, ut eundem nihilominus amittere queat, per motum recuperandum. *Ratio verò non nihil obtineret, si corpus per Quietem* absolutè *permanens de-*

nominare statutum esset, quod factum non est: sed permansio, ut modò declaratum, in suo genere *talis eidem tributa est.*

Duratio praeterea non est ipsa permansio, quatenus rationem *seu* tractum *temporis notat, sed* hujus accidentale prædicatum, *propriis n. corporis affectionibus in more positum est, se invicem determinare & describere, quod quoq; contingit inter Quietem & Tempus, ita, ut tempus dicatur permanens in termino, per motum acquisito, tanquam accidentali denominatione Quietis, sicut vicissim Quies à Tempore temporanea denominatur. Si tamen durationem* pro ipsa constantia seu perseverantia in termino acquisito, posteriori ac priori, quæ tempus notant, præcisis, *sumere velis, concedendum erit durationem recurrere cum perseverantia, sed id non oberit, quominus Quietem in permansione collocandam esse censeamus, quia sufficiet, si per durationem in alia significatione tempus à Quiete diversum fuerit.*

Quod a. concernit possessionem, satis declaratum est, ipsam quoq; Quietis indolem hac vice notare: interim dicimus perseverantiam accuratius *dicere quid hæc ipsa sit, idq; vel per rationes contra possessionem allatas; iis a. rationibus dubitandi quæ affirmativam tuentur hoc largimur, quod Fon-*

seca

secæ dicit l.5.met.c.4. q.2.ſ.4. nempe poſſeſſionem formæ, ſeu quaſi formæ eſſe fundamentum Quietis, quæ motus præcedentis privatio eſt: nam quia nihil poteſt permanere in eo quod non poſſidet; utiq; poſſeſſio ad perſeverantiam vel tanquam fundamentum quoddam prærequiritur. *Hinc ſimul patet, quomodo permanſio magis determinatè exprimat, quid Quies ſit, quàm poſſeſſio.*

Dubium 3. An igitur Quies in perſeverantia in termino conſiſtens, ad certum entis genus pertineat; nec ne: non illud ſtatui poteſt: quia neque ſubſtantia, neq; Quantitas &c. eſt. Item motui non reſponderet; quippe qui in nullo præcisè collocari poteſt. Nec hoc: nam vel nihil, vel conceptus tranſcendentalis eſſet, vel ad poſtprædicamenta ſpectaret, vel ad aliud præter tranſcendentale & poſtprædicamentale, quorum hoc ipſum tamen veriſimile non eſt. Nec eſt tranſcendentalis, ut ſupra vidimus, nec ad poſtprædicamenta pertinet: quia pertineret, vel ad Habere, & ſic

poſſeſſio

possessio esset, quod tãtùm supra quodammodo negatum, vel ad aliud, quod non est verisimile; vel numerum postprædicamentorum augeret, quod contra communem sententiam: ergò nihil erit: ergò relinquitur, quòd in motus carentia consistat?

Resp. Breviter asserimus, Quietem considerari posse dupliciter: præcisè, ut dicit permansionem, terminum in quo permanet, non connotando; *& deinde* terminum illum, per quem limitatur ad certam permansionis speciem connotando: *priori consideratione ad seriem postprædicamentorum pertinet, neq; est in certa entium categoria: quia scil. non secus, atq; motus in pluribus reperitur. Ad quale a. pertineat, ita declaramus:* ratione oppositionis *ad motum spectat,* ratione fundamenti *superius indigitati ad habere: sin a.* respectu neutrius *consideretur nihil prohibebit, quò minus ipsam singularem notionem post prædicamentalem esse statuamus.*

Quando deinde termino, qui per eam possidetur, & in quo per eandem mobile quiescit, & perseverat, limitata intelligitur, ad

ad eam categoriam reducitur, in qua ille terminus, ceu de motu indigitavimus.

Dubium 4. An Quies, uti dictum est, limitetur terminô, per motum acquisitô, & à quiescente possessô: quia aliàs à Quiete imperfecta, quæ terminô à quo determinatur, non diversa, nec hujus loci esset, dum perfectam inquirimus. Item, quoniam ad id entis genus reducitur, ad quod terminus pertinet acquisitus; an verò hoc negandum sit, ideò, quia aliàs coincideret cum motu, nihilq; aliud esset quàm motus per formam limitatus; quod ita patet: Quæ formaliter conveniunt, illa coincidunt seu recurrunt, at si Quies eodem terminô limitetur, seu determinetur, quô motus: formaliter conveniet cum motu: ergò recurret cum eodem, seu idem quid erit, quod motus in determinatione, quàm habebat à termino ad quem, sibi vendicabat?

Resp.

Resp. Terminus ad quem bifariam considerat: prout est acquirendus, & deinde quatenus est acquisitus. *Priori modô ascribitur tantùm motui & quidem actu secundo in eundem tendenti, atq; ita notum est, quòd Quies sub hac ratione eundem nequaquam possideat, ut quiescens in eo perseverare dicatur. Quatenus verò acquisitus est, tùnc determinat utramq; affectionem, motus nempe atq; Quietis sed iterum diversâ ratione, motum scil.* tanquam effectus suam actionem; *Quietem verò* tanquam causa seu principium, unde hæc actu secundô rem in eodem permanentem dicit. *Vel motus terminô acquisitô terminatur* à posteriori, *quies eodem* à priori. *Hinc quicquid terminus motus est à quo id Quietis terminus ad quem est; scil. quô dato hæc desinit actu secundo inesse quia incipit ab eodem motus tendere in terminum ad quem; & rursum quicquid terminus motus ad quem est, id Quietis terminus, à quo incipit (actu scil. secundo inesse) meritò dicitur & quidem sub ratione possessi, cùm, prout motus erat terminus, subratione acquisiti considemndus fuerit. Videmus ergò quòd, etiamsi motus & Quies circa eundem terminum versentur, & ab eodem determinentur, nihilomi-*

hilominus affectiones diversæ sint: quia scil. terminis conveniunt non formaliter, *sed* materialiter, *iisdem, id quod ad rationem dubitandi negativam regerendum erat.*

Dubium 5. An Quietis oppositum sit motus; an verò inquietudo: Illi n. favent omnia, quæ pro privativa motus & Quietis oppositione adduci solent; opponuntur verò ea quæ supra Dubio primo & seqq. attulimus.

Huic (quod inquietudo illius oppositum sit) veritatem hæc ratio conciliat: Quies est res positiva: ergò ipsius oppositum erit privativum, nisi de aliis oppositionum generibus loquamur; isthæc autem hanc eidem detrahere videtur: Inquietudo est motus, ergò si hæc Quieti opponatur, motus eidem opponetur, atque sic iterum motus oppositum erit secus atq; prius dubitatum fuit?

Resp. Quod motus non opponatur Quieti privativè prout utriusq; conceptus generalis hoc loco adæquatam corporis affectionem importat ut supra dictum & declaratum est.

Restat

DUBIA
De
LOCO.

Dubium I. An Locus sit adæquata adeoq; propria affectio corporis; an verò sit accidens commune quòd tantùm circumstat & non inest à natura: Negativa illius ita defenditur: Locus non convenit omni corpori: quia cœlo non tribuitur: ergò non est adæquata, nec à natura corporis locati oritur: quia est in locante: ergò hec propria affectio corporis dici potest; pro affirmativa hujus, quod scil. accidens commune sit, præter rationes negativas allatas est, quòd à corpore possit separari, quòdq; à principio extrinseco locantis proficiscatur corporiq; locato quasi imprimatur.

Interim v. nisi statuatur Locum corporis affectionem propriam esse, non erit motus localis: sublatô n. terminô ad quem (qualis est locus seu Ubi) non est cur tendentiam corpori

aſsignamus, quæ motus Localis vocetur. Item negabitur Ubi: quia hoc eſt modus, ſeu relatio à determinatione loci proveniens, nec dari poteſt ſine determinante, id quod de quoquo Corpore Phyſico falſum eſt?

Reſp. Quod de motu & aliis etiam affectionibus corporis naturalis aſſertum fuit illud de Loco quoq; dicendum reſtat, Corporis ſcil. adæquata atq; propria affectio eſt, quoad actum primum; ſeu prout notat potentiam, quam vocant locabilitatem, quippe quâ corpus aptum natum eſt locari ſeu externâ locantis ſuperficie circumſcribi: *Hic actus primus de omni corpore non tantùm ratione in dubio allata, ſed ita etiam oſtenditur: omnè Corpus determinatâ Quantitate præditum eſt, quæ ad certum ſpatium diſtenditur: ergò omne corpus poteſt id ſpatium occupare & replere atq; ita, ut, ſi detur extra id aliud corpus, extrinſeca illius ſuperſicie actu circumſcribatur ac determinetur.*

Actum *verò* ſecundum *hujus localitatis quibusdam ſaltem convenire conceditur, excipitur n. cœlum poſitò, extra illud non aliud corpus dari; at hoc ipſum non impedit quò minus omne corpus à natura & per naturam locabile denominetur. Sic nihil obſtat, cur cœlum*

lum non sit locale, etiamsi extrinsecâ superficie locantis non determinetur: quia scil. localitas non proficiscitur à natura locantis, sed locabilis; nihil refert si substantia ipsius corpore locante destituta sit.

Negatur etiam, quod Locus secundum actum primum spectatus à natura locantis locato imprimatur, ideò, quia quatenus hoc loco propria corporis affectio est, eatenus passivè *intelligitur, denominans id locale, quemadmodum scil. motus prout subjectum mobile denominavit passivè considerabatur, atq; hac ratione & consideratione non potest concipi,* quasi à corpore locante proficiscatur, *sic n. non denominaret corpus contentum locale, sed continentem substantiam locantem; seu aptam aliud corpus circumscribere & locare. Dicis: licet passivè sumatur, tamen non à natura locati erit, sed potius huic per naturam locantis conveniet, quod ita demonstratur: Actio & passio non differunt realiter; sed tantùm habitudine: ergo si locatio est ab externo corpore locante activè considerata: utiq; eadem quoq;, quoad rem passivè ab eodem erit? Respondemus, distinguendo inter* localitatem; & locationem*: locatio quidem est à natura locantis quatenus est actio quædam, seu actualis applicatio, quâq; natura locantis corpus locatum circumscribit: non verò loca-*

litas, quâ corpus, quod inde locabile denominatur, natum; seu aptum est ejusmodi locationem in se recipere. Est ergò nec locatio quatenus est actio seu applicatio locantis, nec receptio, quæ est passio locati hujus loci affectio propria. Non illa, uti probatum, quia scil. à locante tanquam externo principio est. Nec hæc, quia ei, quod potest actionem recipere, receptio contingit, quod si applicans seu agens contingens est. v. g. contingit Petro passio; si tunc Socrates contingenter verberat: at verò contingit corpus locans locatum locare, quod in cælo deprehenditur: ergò locato quoq; actualis receptio applicationis, seu locationis contingit. Ergò relinquitur sola aptitudo, quæ hujus loci propria affectio est. Hinc videre licet, quomodo porrò negandum veniat, quòd hæc à corpore separabilis sit: licet n. locatio separabili nexu cum corpore locabili conjungatur uti dictum est; non tamen localitas, quæ ab interna locabilis natura dependet, ita comparata est.

Dubium 2. An Locus sit superficies; an verò spatium; vel si horum neutrum sit; an non idem quod Ubi sit; vel deniq; utrum, si hæc sese non tollant, æquè per quodlibet eorundem definiri queat: Quod n. non sit superficies

ficies patet: quia esset Quantitas, quod falsum, item vel superficies locati; vel locatio esset. Non locati: nam juxta hanc corpus non dicitur locabile, sed longum & latum esse, seu juxta duas dimensiones extensum, vel extensibile: quia superficies species Quantitatis est per duas illas dimensiones à linea & corpore diversa. Non locantis: quia sic non esset corporis affectio propria, idq; ideò, quia omnis affectio propria à natura corporis promanat; qualiter superficies locantis respectu locati nequaquam sese habet. Item juxta hanc quoq; corpus locatum non dicetur locabile seu locatum, sed ad locantis superficiem longè lateq; extensum. Adde quòd corpori generaliter spectatô (quod fit, quando hoc locô tanquam adæquatum objectum Physicæ attenditur) non tribuatur aliud ambiens, cujus superficies ipsi locus sit, idque ideò, quia aliàs esset conceptus specificus, de quo corpus genericum prædicaretur: nam quicquid corpori inclu-

ſum intelligitur, tanquam locanti, illius conceptus eſt ſpecificus, agnoſcens juxta ſeu extra ſe aliam corporis ſpeciem, nempe locantem, quòd de corpore (objecto hujus loci, ſeu partis) nequaquam aſſerendum videtur: quia id ita hac vice conſiderandum eſt, ne quæ attributa ipſi aſsignemus, qualia non, niſi in ſpecie ſortitur. Locum autem ſuperficiem eſſe inde deducitur: quia in communiori modo loquendi & ſentiendi ſapientum hærendum eſt: hi verò nomen loci locantis ſuperficiei, ſeu extrinſecæ circumſcriptioni imponunt, & ideò Philoſophus ſimpliciter de illa ſub loci nomine locutus eſt 4. Ph. quandoquidem eſſe in aliquo, tanquam corpus in loco certè innuere videtur habitudinem ad aliud, àq; ſe (locato) diverſum tanquam continens: ergò conveniens erat per ſuperficiem motum definiviſſe.

Contra ſpatium eſt, quòd id vel reale; vel imaginarium ſit; neutrum verò loci nomine venire queat. Non illud:

illud: quia idipſum vel corpus ipſum; vel ratio corporis dimenſiva erit ſi illud, cōfundetur affectio cum ſuo ſubjecto; ſin hoc, Quantitas cum loco & locus cum Quantitate, quôd falſum. Non hoc: quia nihil rei eſt, locô nomine affectionis veniente, Ergò.

Pro ſpatio dimicat hæc ratio: omnes proprietates, quæ loco debentur, huic conveniunt, utpote quòd ſit æqualis locato, quod ſit immobilis &c. item quia ſpatium eſt diſtantia quædam, ad quam & in qua corpus per Quantitatem intelligitur extenſum, & ad quod determinatur, ſed ita, ut (quod ad affectionem propriam requiritur) corpori inhæreat, quod de ſuperficie negatum fuit: Utiq; conveniens erat Locum per idipſum definiri.

Quia deniq; Ubi ſe non habet, ut receptaculum locati, nec per illud res dicitur in loco, ſed tantum alicubi eſſe: genus loci nequit eſſe. Item quoniam Ubi eſt inter locum & rem loca-

tam habitudo respectiva, quomodo locus Ubi erit?

Ex opposito a. quoniam triplex Ubi datur repletivum, Dei, definitivum Intelligentiarum ac circumscriptivum Corporum, quid hoc ultimum aliud erit, quàm locus? Item quemadmodum res in loco dicitur esse tota in toto, & quælibet pars in parte loci seu spatii: ita etiam in Ubi circumscriptivo est: aliàs ab Ubi definitivo non distingueretur. Quòd ergò nullum horum de loco negari queat, sed omnia simul eundem exprimant, rationes affirmantes de singulis adductæ obtinuisse videntur; contrarium verò negantes?

Resp. Quoniam Locus multifariam considerari potest inconveniens nequaquam est quòd si modò ad Quantitatem, modò ad relationem, modò ad Ubi, modò ad censum causarum &c. ut inde certum genus sortiatur, refertur; quando tamen di endum venit quodnam ille, quà talis, sibi genus vendicet, asserimus id non esse prædicamentale; vel locus, quatenus locus est, in nullô prædicamento est: neq; n. in Quantitatis, neq; in Relationis, aliàs ad ipsum

ipſum non eſſet motus, neq; in Ubi, ceu in dubio rationes obtinuerunt, neq; in aliis, quod extra controverſiam, ut ſic, collocatur: Ergò.

Eſt a. ratio, ſeu terminus quò corpus externâ locantis ſuperficie comprehenſibile *eſt. Hinc etiam innuendum quid de ſuperficie locantis ſtatui debeat, nempe quòd ad loci affectionem quidem concurrat,* tanquam extrinſeca quædam conditio ſeu requiſitum, *non n.* præcisè genericam loci naturam, quatenus locus eſt, ſignificet, *idq; non* ſimpliciter neceſſarium, *ut de cœlo dictum fuit; ſed* tantum tùm, quando res actu ſecundò locata denominetur,

Idem exiſtimandum venit de ſpatio quod ſi ſumatur pro diſtantia ſeu ratione dimenſivâ (imaginarium a. rectè rejiciebatur, tanquam non ens) eſt ſcil. ejusmodi accidens atq; requiſitum, quo negato, locus de corpore affirmari nequit: *locus n. non niſi corporis accidens eſt; hoc verò non niſi dimenſionibus Quantitatibus præditum. Ergò & locus dimenſiones illas ſeu rationem dimenſivam in corpore requirit, ſic deniq; Ubi ad locum concurrit: ſcil. tanquam* modus rei intrinſecus ratione cujus corpus ſecundum ſe totum in toto & pars in parte ſpatii præſens denominatur, *id quod ad circumſcribendi rationem, quæ locus eſt, requiritur: non n. locô*

comprehensa dici potest substantia, nisi secundum illum modum præsens sit; vel res non intelligitur ibi comprehensibilis esse, ubi nondum præsens est. Dicit ergò Ubi localem quidem præsentiam, corpori internam, *non verò* ipsam rationem locandi & comprehendendi. *Internam dico: nam locus intelligitur ipsâ exterior esse; quia est terminus ubi: nam hoc est habitudo inter rem locabilem & locabilitatem seu locum. Ex his igitur conjiciendum relinquimus eos minus contradictoriè sentire, quorum quidam, locum superficiem, quidam spatium, quidem verò ubi describunt; dum nempe locum considerant* reductivè, seu prout ad diversa genera reducitur, *stante interim, quod* præcisè consideratus *in nullô collocetur, & quidem per rationes dubij negativas.*

Si verò quis vel superficiem, vel spatium, vel ubi, vel horum quodlibet naturam loci, ut loci, genericam dicere velit, urgemus ubiq; rationes negativas, & respondemus ad affirmantes & quidem ad rationem pro superficie allatam, quòd aliud sit ad localitatem concurrere ut actu secundo inesse intelligatur, & *aliud* esse localitatem seu locum ipsum: *quia id superficiei conveniebat, à veteribus locus superficies describi valuit, non quia hoc posterius per rationem Dubij negativam. Adde*

animum nostrum non simpliciter *Veterum loquendi consuetudini astrictum esse, sed* tùm quàdo res verius & clarius exprimi nequit. *Ad rationem pro spatio adductā dicimus procedere, partim ab insufficienti, partim ab inconvenienti enumeratione eorum, quae ad loci rationem pertinent.* Ab insufficienti: *quia tale etiam adduci debebat requisitum seu attributum, per quod locus, si spatium sit, à dimensionibus Quantitatis diversus intelligeretur, quòd nondum factum fuit nec fieri potuit, si n. spatium sit, locus cum quantitate confundetur, vel nihil erit, vel ipsum corpus erit, uti significatum fuit in dubio. Ab inconvenienti: quia aequalitas Loco non convenit,* quà locus est & quidem tanquam proprietas, *sed* quà quantus *denominatur. Sic immobilitas est attributum omnibus affectionibus corporis commune: ergò ut proprium adduci non potuit, &c. minor vera est: quia solùm corpus mobile est. Ad rationem ubi deniq; responsio superius data est, quòd scil. hoc notet in corpore praesentiam, non continentiam seu rationem comprehendendi locabile. Inde igitur concluditur, quòd diversâ consideratione locus diversis quoq; generibus gaudeat.*

Dubium 3. In quonam consistat ratio formalis, seu; differentia localitatis,

tis, seu loci, quà tùm ab Ubi, tùm à situ, tùm deniq; ab aliis corporis affectionibus diversa existimetur: nam licet constet ex superioribus, quomodo locus diversus sit ab Ubi Quantitate aliisq;, præter situm accidentibus; non tamen de situ res extra controversiam est, sed quia situs habitudo partium corporis est locusq; eapsâ corpus terminare & circumscribere dicitur: idem quod situs esse videtur; an verò in habitudine ad rem extrinsecam, nempe ad superficiem corporis locantis, quæ quidem ratio apparet exprimere, quid sit τὸ in loco esse & ita locum ab aliis corporis affectionibus diversum facere, id quod causa esset cur rationem loci in eadem collocari existimaremus; sed ita locus in relatione si non prædicamentali, tamen transcendentali consistet: quia habitudo inter duos terminos nihil aliud quàm relatio est, quorum istud concedi non potest: quia sic locus nudus modus

dus tranſcendentalis eſſet, quod falſum?

Reſp. Diſtinguendum eſt inter habitudinem ad rem internam, *ſeu inter diſpoſitionem rei internæ, & inter habitudinem* ad rem externam. *Quod attinet ad rationem localitatis formalem, ea accuratè loquendo collocari debet in habitudine non illa, ſed hac poſteriori, ceu in dubio dictum fuit: nam locus per hanc ab omnibus, quæ loci naturam non ſubeunt diverſus evadit. Illa interim habitudo exprimit rationem ſitus, quippe qui eſt diſpoſitio partium adſe invicem, in ratione ad locum, in quo ſunt collocatæ, quæq; ſunt res corpori internæ.*

Obſervandum a. eſt Autores ſæpiſſimè hos terminos indiſcriminatim ſumere ita nempe ut, modò per ubi, modò per ſitum, modò per ſuperficiem, modò par ſpatium, id, quod Locum dicimus, innuere ſoleant, quòd dub. antec: quoq; annotandum diximus.

Quod deniq; ſpectat argumentum, ex loco relatorum tranſcendentalium deſumptum, dicimus, quòd diſtinguendum ſit inter nudam σχέσιν *illam, & inter rem quæ eandem importat: Locus quidem hanc connotat, non nihil tamen eſt, præter* σχέσιν*: quia exercet munus corpus naturale circumſcribendi ſeu ambiendi & quidem ita, ut non tantùm terminis eſſentiæ*

ſua finitum, ſed etiam à ſe, tanquam externa quadam ratione ſeu terminô externô comprehenſibile dicatur, id quod de relatione, cujuscunq́; ſit generis, quà relatione, dici nequit. Incidenter etiam innuendum eſt, quod nec finire, ut modò de eodem verba fecimus, rationem locandi ſeu localitatis importet: quia hoc nihl aliud dicit, quàm modum, corpore latiorem: quoniam ſubſtantiæ ſunt, quæ licet corpora non ſint, finitæ tamen denominantur v.g. Mentes. Concluditur ergò, quòd localitas ponatur in exteriori habitudine ad ſuperficiem locantis, ita ſcil. ut ex altera parte corpus cum omnibus ipſius attributis, ex altera verò ſuperficiem locantis reſpiciat.

Dubium 4. An ergò Locus ſeſe reſpectu corporis paſsivè habeat, ut ſupra dictum fuit, utrum verò non potius propter munus ambiendi & circumſcribendi ad ſubjectum activè concurrat, adde quod præterea duplicem comparationem cum corpore, quòd circumſcribit, ingrediatur, ubi ſeſe itidem activè habet: ordinatur n. ad corpus tanquam menſura ad rem menſurabilem; deinde tanquam cauſa conſervans locatum ſecundum illud:

illud: Locus (naturalis) conservat locatum?

Resp. Locus consideratur dupliciter: quà in subjecto aptitudinem, seu habitudinem notat eam, juxta quam corpus natum est, locationem seu actionem locantis recipere, *atq; sic dictum fuit, quòd passivè se habeat, sed id non exprimebat rationem loci, quà loci, verùm ea ratio loco tribuitur,* quà hic erat ejusmodi habitudo, ad externã superficiem, à quali corpus ambitur, *atq; tunc sese ad corpus habet* terminativè, *id quod alteram loci considerationem parit, juxta quam scil. hoc locô propriè & principaliter attenditur.*

Quod autem locus praeterea mensura corporis sit, id modum *in ipso arguit* metaphysicum, *qui cum mensurato disjunctivam Entis affectionem facit,* nec ipsi, ut sic, *tribuitur.*

Quando denig, dicitur, quòd conservet locatum, hoc ipsum ita explicamus: Ascribitur conservatio locati loco non tanquam causae efficienti, *quod patet: sive n. sumatur pro superficie locantis, sive pro spatio, sive pro Ubi, sive pro ratione terminante, alia, efficaciam ex se non habet, esset n. substantia, vel qualitas activa, quâ substantia efficax dicitur, quod falsum. Veruntamen* tanquam conditioni seu requisito ad conservationem locati necessariò: *quia enim res lo-*

cata

cata mediante habitudine loci extrinsecâ aliud corpus seu vim corporis locantis attingere natum est, ut illius influxu quô conservatur gaudeat, locus utiq; ad ejusdem conservationem necessarius est. Hinc videmus v. g. arbores in quibusdam locis conservari, & in aliis interire, id quod loco imputatur, non tanquam caussæ, *ut indigitatum fuit, sed ut* conditioni; seu requisitô. *Si verò tùm quando corpus locatum locô conservari dicitur, per locum intellexeris rem locantem, verum erit quod locus* efficaciter *locatum conservet, sed falsum, quòd res locans* propriè locus appelletur. *Quòd si verò corpus extrinsecô corpore locante destituatur, an locus id, quod ambit, conservare dicatur? Respondendum venit, locum tunc esse conditionem seu requisitum ex parte corporis locati, & ex parte locantis, quod quidem non est corpus, vim tamen corpori locabili impertit, quâ inesse conservatur, uti est primus rerum naturalium motor, quippe qui juxta ordinariam potentiam uti omnia corpora, ita externum quoq; suâ virtute conservat, & quidem eâ loci habitudine, quâ circumscribi natum erat.*

Dubium

Dubium 5. An ratio loci, quâ corpus terminari, ambiri & comprehendi natum est, nihil sit, quàm terminus seu ratio quædam terminans, ex terminis essentiæ atque affectionum corporis, nempe Quantitatis, Qualitatis, &c. conflata; an verò talis, quæ extra illos terminos posita, cùm corpus; tùm affectiones, à se diversas, exterius terminet claudat & contineat: prius n. ideò suadetur, quià hi termini sese respectu loci habent instar partium illius tanquam totius, quod inde deducitur: quià terminorum illorum alterutrô; vel omnibus, negatis, locus seu localitas negatur, & contra omnibus positis res locabilis denominatur. Sic locus continet eos, id quod partium ratione totius erat. Adde quòd supervacaneum esset terminum præter illos simul sumptos alium, eumq; exteriorem corpori tribuisse; cum tamen iis unitis hoc contineri & circumscribi posset. Item termini terminus esset, quod affirmasse falsum est; quemadmodum

quoq; motus nondum motus erat. In contrarium autem est, quòd hoc ipsô assertô, locus non affectio, sed affectiones; seu affectionum ens per accidens esset, quia termini affectionum accidentia in corpore, genere diversa, sunt. Sic terminus quantitatis est figura, Qualitatis ultimus gradus, Motus vel Quantitas, vel Qualitas; vel Ubi perfectiora, quæ omnia accidentia multùm diversa sunt. Item locus corpus non in loco esse denominaret, sed partim maximum, partim intensissimâ Qualitate perfectum, partem alicubi saltem esse diceret, quod perabsurdum. Quod porrò ratio loci, extra illos terminos collocata, corpus peculiariter circumscribat, demonstratur: quia concipi potest, tanquam extrinseca quædam ratio & habitudo superius declarata absque terminis illis, quibus ea quæ continet determinantur, utique ab iis diversus erit; Hinc ergò discrimen rationis patet, nec minus reale, si recolimus quæ modò contra oppositam

ſitam mentem in præſenti dubio attulimus?

Reſp. Ἀξιοῦμεν τὸν τόπον εἶναι πρῶτον μὲν περιέχον ἐκεῖνο οὗ τόπος ἐστὶ καὶ μηθὲν τοῦ πράγματος εἶναι, *quantum ſcil. de loco Philoſophus affirmat. Quod tamen non ita accipiendum putamus, quaſi locus ſeu localitas prorſum nihil locati ſit: eſt n. affectio corporis naturalis, quæ à natura illius proficiſcitur: eſt habitudo locati ad ſuperficiem locantis terminata: ergò. Verùm quia nihil dicatur, quod vel principia locati, vel locatum & affectiones hujus interiores intrinſecè ſunt. Sic materia & forma adeòq; Natura corporis eſſe dicuntur, è quarum cenſu locus non eſt, ſic quoq; affectiones præter locum* internè *corpus afficiunt ipſiusq; proinde ſunt; locus verò corpus locabile denominat* extrinſecè, *ita nempe*, ut non ſit illius, nec conſequenter ex affectionum terminis conflatus: *ſic enim affectionum atque corporis eſſet, quod falſum, per rationes contra hoc ipſum in dubio allatas.*

Negatur ergò quod termini eſſentiæ & affectionum corporis ad locum ſeſe habeant tanquam partes: Terminus enim eſſentiæ corporis eſt forma, uti ex doctrinâ de forma conſtat; termini verò affectionum quæ corpus intrinſecè afficiunt, ſunt itidem interni, quibus ratio loci quaſi ſuperaddita intelligitur. Sic Quan-

titatis terminus, qui est figura interiori ratione loci est, sic quoq; Qualitatis, qui est ipsius intensissimus gradus, per alterationem acquisitus, interior est: præterea motus terminus ulterior accidentis cujusdam interim perfectio erat; quæ ita comparatur ad locum, ut interna illius respectu similiter dici non nequeat: distinguendum tamen est inter requisitum loci qualecunq; & inter partes: *Termini modò enumerati requiruntur quidem ad id, quod locus est: nam corpus non nisi Quantum, Quale, debita perfectione accidentali spectatum circumscribit, quia hæ affectiones & quidem terminis suis finitæ, necessariò corpori insunt: non tamen loci partes sunt: uti supra declaratum: Item distingui debet inter id,* quod requiritur ad internam essentiã, *quô sensu partes etiam requisita nuncupari possunt, & quod* tanquam conditio, extra essentiam illius, cujus talis quædam est, posita, *requiritur: Non prioris generis requisita, termini recensi dici possunt, ut supra probatum; sed posterioris quippe qui ab interno & à parte corporis locati ad localitatem requiruntur essentiale discrimen cum ipso servando, dum hi in certis entium generibus sunt; locus verò præcisè spectatus ad nullum directè pertinet, ut itidem suprà significatum fuit. Ita ergò locatum & locus sese habent: Intimum quid est*

est corporis essentia; constans materia & forma; exterius est attributum Quantitatis Qualitatis & Motus horumq́; terminus; extimum omnium & Locus seu localitas in corpore locato & extrinseca superficies ambiens in corpore locante, ubi hoc datur: Locus ergò duplici termino clauditur locati ab interno ac locantis ab externo, inter quos ipse ratio seu habitudo quædam est, quâ corpus comprehensibile denominatur, scil. si corpus locans ab externo datur, quod tamen non omni corpori contingit adeoq́; nec corpori in genere spectato: sed tantùm quibusdam, scil. inferioribus, ut interim sufficiat, si habitudo ista detur ex parte corporis, quòd comprehendit & circumscribit, negatâ simul repugnantiâ termini (superficiei) ex parte corporis locantis, quæ, si locans daretur hunc admitteret, ut habitudo ex parte locantis quasi superficie determinata esset. Nec tùm dicendum habitudinem illam nullam esse, utpote destitutam extrinsecâ superficie: nam sufficit si tunc ratio ambitus est habendo ex parte locabilis unde locus dici mereatur, quippe munus loci, voce περιέχον expressum, præsertim in hoc absolvitur, quô ratio loci circumcumscribens corporis partes atq́; terminos ita contineat, ut extra se ambiente nullum esse sinat, non obstante quòd contingat, extrinsecam locantis superficiem non ubiq́; dari. Ex

tis, ſeu loci, quà tùm ab Ubi, tùm à ſitu, tùm deniq; ab aliis corporis affectionibus diverſa exiſtimetur: nam licet conſtet ex ſuperioribus, quomodo locus diverſus ſit ab Ubi Quantitate aliisq;, præter ſitum accidentibus; non tamen de ſitu res extra controverſiam eſt, ſed quia ſitus habitudo partium corporis eſt locusq; eaipsâ corpus terminare & circumſcribere dicitur: idem quod ſitus eſſe videtur; an verò in habitudine ad rem extrinſecam, nempe ad ſuperficiem corporis locantis, quæ quidem ratio apparet exprimere, quid ſit τὸ in loco eſſe & ita locum ab aliis corporis affectionibus diverſum facere, id quod cauſa eſſet cur rationem loci in eadem collocari exiſtimaremus; ſed ita locus in relatione ſi non prædicamentali, tamen tranſcendentali conſiſtet: quia habitudo inter duos terminos nihil aliud quàm relatio eſt, quorum iſtud concedi non poteſt: quia ſic locus nudus modus

dus tranſcendentalis eſſet, quod falſum?

Reſp. Diſtinguendum eſt inter habitudinem ad rem internam, *ſeu inter diſpoſitionem rei internæ, & inter habitudinem* ad rem externam. *Quod attinet ad rationem localitatis formalem, ea accuratè loquendo collocari debet in habitudine non illa, ſed hac poſteriori, ceu in dubio dictum fuit: nam locus per hanc ab omnibus, quæ loci naturam non ſubeunt diverſus evadit. Illa interim habitudo exprimit rationem ſitus, quippe qui eſt diſpoſitio partium adſe invicem, in ratione ad locum, in quo ſunt collocatæ, quæq; ſunt res corpori internæ.*

Obſervandum a. eſt Autores ſæpiſſimè hos terminos indiſcriminatim ſumere ita nempe ut, modò per ubi, modò per ſitum, modò per ſuperficiem, modò per ſpatium, id, quod Locum dicimus, innuere ſoleant, quòd dub. antec: quod annotandum diximus.

Quod deniq; ſpectat argumentum, ex loco relatorum tranſcendentalium deſumptum, dicimus, quòd diſtinguendum ſit inter nudam σχέσιν *illam, & inter rem quæ eandem importat: Locus quidem hanc connotat, non nihil tamen eſt, præter* σχέσιν: *quia exercet munus corpus naturale circumſcribendi ſeu ambiendi & quidem ita, ut non tantùm terminis eſſentiæ*

ſuæ

sua finitum, sed etiam à se, tanquam externa quadam ratione seu terminô externô comprehensibile dicatur, id quod de relatione, cujuscunq; sit generis, quà relatione, dici nequit. Incidenter etiam innuendum est, quod nec finire, ut modò de eodem verba fecimus, rationem locandi seu localitatis importet: quia hoc nihl aliud dicit, quàm modum, corpore latiorem: quoniam substantiæ sunt, quæ licet corporea non sint, finitæ tamen denominantur v.g. Mentes. Concluditur ergò, quòd localitas ponatur in exteriori habitudine ad superficiem locantis, ita scil. ut ex altera parte corpus cum omnibus ipsius attributis, ex altera verò superficiem locantis respiciat.

Dubium 4. An ergò Locus sese respectu corporis paßivè habeat, ut supra dictum fuit, utrum verò non potius propter munus ambiendi & circumscribendi ad subjectum activè concurrat, adde quod præterea duplicem comparationem cum corpore, quòd circumscribit, ingrediatur, ubi sese itidem activè habet: ordinatur n. ad corpus tanquam mensura ad rem mensurabilem; deinde tanquam causa conservans locatum secundum illud:

illud: Locus (naturalis) conservat locatum?

Resp. Locus consideratur dupliciter: quà in subjecto aptitudinem, seu habitudinem notat eam, juxta quam corpus natum est, locationem seu actionem locantis recipere, *atq; sic dictum fuit, quòd passivè se habeat, sed id non exprimebat rationem loci, quà loci, verùm ea ratio loco tribuitur,* quà hic erat ejusmodi habitudo, ad externā superficiem, à quali corpus ambitur, *atq; tunc sese ad corpus habet* terminativè, *id quod alterum loci considerationem parit, juxta quam scil. hoc locô propriè & principaliter attenditur.*

Quod autem locus præterea mensura corporis sit, id modum *in ipso arguit* metaphysicum, *qui cum mensurato disjunctivam Entis affectionem facit,* nec ipsi, ut sic, *tribuitur.*

Quando deniq; dicitur, quòd conservet locatum, hoc ipsum ita explicamus: Ascribitur conservatio locati loco non tanquam causæ efficienti, *quod patet: sive n. sumatur pro superficie locantis, sive pro spatio, sive pro Ubi, sive pro ratione terminante alia, efficaciam ex se non habet, esset n. substantia, vel qualitas activa, quâ substantia efficax dicitur, quod falsum. Veruntamen* tanquam conditioni seu requisito ad conservationem locati necessariò: *quia enim res locum*

cata mediante habitudine loci extrinsecâ aliud corpus seu vim corporis locantis attingere natum est, ut illius influxu quô conservatur gaudeat, locus utiq; ad ejusdem conservationem necessarius est. Hinc videmus v.g. arbores in quibusdam locis conservari, & in aliis interire, id quod loco imputatur, non tanquam caussæ, *ut indigitatum fuit, sed ut* conditioni; seu requisito. *Si verò tùm quando corpus locatum locô conservari dicitur, per locum intellexeris rem locantem, verum erit quod locus* efficaciter *locatum conservet, sed falsum, quòd res locans* propriè locus appelletur. *Quòd si verò corpus extrinsecô corpore locante destituatur, an locus id, quod ambit, conservare dicatur? Respondendum venit, locum tunc esse conditionem seu requisitum ex parte corporis locati, & ex parte locantis, quod quidem non est corpus, vim tamen corpori locabili impertit, quâ inesse conservatur, uti est primus rerum naturalium motor, quippe qui juxta ordinariam potentiam uti omnia corpora, ita externum quoq; suâ virtute conservat, & quidem eâ loci habitudine, quâ circumscribi natum erat.*

Dubium

Dubium 5. An ratio loci, quâ corpus terminari, ambiri & comprehendi natum est, nihil sit, quàm terminus seu ratio quædam terminans, ex terminis essentiæ atque affectionum corporis, nempe Quantitatis, Qualitatis, &c. conflata; an verò talis, quæ extra illos terminos posita, cùm corpus; tùm affectiones, à se diversas, exterius terminet claudat & contineat: prius n. ideò suadetur, quia hi termini sese respectu loci habent instar partium illius tanquam totius, quod inde deducitur: quia terminorum illorum alterutrô; vel omnibus, negatis, locus seu localitas negatur, & contra omnibus positis res locabilis denominatur. Sic locus continet eos, id quod partium ratione totius erat. Adde quòd supervacaneum esset terminum præter illos simul sumptos alium, eumq; exteriorem corpori tribuisse; cùm tamen iis unitis hoc contineri & circumscribi posset. Item termini terminus esset, quod affirmasse falsum est; quemadmodum

S quoq;

quoq; motus nondum motus erat. In contrarium autem est, quòd hoc ipsô assertô, locus non affectio, sed affectiones; seu affectionum ens per accidens esset, quia termini affectionum accidentia in corpore, genere diversa, sunt. Sic terminus quantitatis est figura, Qualitatis ultimus gradus, Motus vel Quantitas, vel Qualitas; vel Ubi perfectiora, quæ omnia accidentia multùm diversa sunt. Item locus corpus non in loco esse denominaret, sed partim maximum, partim intensissimâ Qualitate perfectum, partem alicubi saltem esse diceret, quod perabsurdum. Quod porrò ratio loci, extra illos terminos collocata, corpus peculiariter circumscribat, demonstratur: quia concipi potest, tanquam extrinseca quædam ratio & habitudo superius declarata absque terminis illis, quibus ea quæ continet determinantur, utique ab iis diversus erit; Hinc ergò discrimen rationis patet, nec minus reale, si recolimus quæ modò contra oppo-
sitam

ſitam mentem in præſenti dubio attulimus?

Reſp. Ἀξιοῦμεν τὸν τόπον εἶναι πρῶτον μὲν περιέχον ἐκεῖνο οὗ τόπος ἐστὶ καὶ μηθὲν τοῦ πράγματος εἶναι, *quantum ſcil. de loco Philoſophus affirmat. Quod tamen non ita accipiendum putamus, quaſi locus ſeu localitas prorſum nihil locati ſit: eſt n. affectio corporis naturalis, quæ à natura illius proficiſcitur: eſt habitudo locati ad ſuperficiem locantis terminata: ergò. Verùm quia nihil dicatur, quod vel principia locati, vel locatum & affectiones hujus interiores intrinſecè ſunt. Sic materia & forma adeóq; Natura corporis eſſe dicuntur, è quarum cenſu locus non eſt, ſic quoq; affectiones præter locum* internè *corpus afficiunt ipſiusq; proinde ſunt; locus verò corpus locabile denominat* extrinſecè, *ita nempe*, ut non ſit illius, nec conſequenter ex affectionum terminis conflatus: *ſic enim affectionum atque corporis eſſet, quod falſum, per rationes contra hoc ipſum in dubio allatas.*

Negatur ergò quod termini eſſentiæ & affectionum corporis ad locum ſeſe habeant tanquam partes: Terminus enim eſſentiæ corporis eſt forma, uti ex doctrinâ de forma conſtat; termini verò affectionum quæ corpus intrinſecè afficiunt, ſunt itidem interni, quibus ratio loci quaſi ſuperaddita intelligitur. Sic Quan-

est corporis essentia; constans materia & forma; exterius est attributum Quantitatis Qualitatis & Motus horumq; terminus; extimum omnium & Locus seu localitas in corpore locato & extrinseca superficies ambiens in corpore locante, ubi hoc datur: Locus ergò duplici termino clauditur locati ab interno ac locantis ab externo, inter quos ipse ratio seu habitudo quædam est, quâ corpus comprehensibile denominatur, scil. si corpus locans ab externo datur, quod tamen non omni corpori contingit adeoq; nec corpori in genere spectato: sed tantùm quibusdam, scil. inferioribus, ut interim sufficiat, si habitudo ista detur ex parte corporis, quòd comprehendit & circumscribit, negatâ simul repugnantiâ termini (superficiei) ex parte corporis locantis, quæ, si locans daretur hunc admitteret, ut habitudo ex parte locantis quasi superficie determinata esset. Nec tùm dicendum habitudinem illam nullam esse, utpote destitutam extrinsecâ superficie: nam sufficit si tunc ratio ambitus est habendo ex parte locabilis unde locus dici mereatur, quippe munus loci, voce περιέχον expressum, præsertim in hoc absolvitur, quô ratio loci circumcumscribens corporis partes atq; terminos ita contineat, ut extra se ambiente nullum esse sinat, non obstante quòd contingat, extrinsecam locantis superficiem non ubiq; dari. Ex

dictis constat, quòd locus non tanquam partes corporis affectionumq́; terminos *contineat, sed tantùm* tanquam externa quædam habitudo, *cujus similitudo quædam ex genere artificialium adduci potest, quemadmodum scil. vestitus corporis partes ac terminos continet, nec tamen tales de vestitus essentia sunt: sic etiam locus attingit terminos locati. Porrò supervacaneum non est præter terminos affectionum Quantitatis &c. localitatem corpori attribuisse: nam termini illi non circumscribunt corpus, nec internas ipsius affectiones ita claudunt*, ut omnium respectu ratio terminans dici mereantur, sed quilibet terminus suæ affectionis seorsim est, *ut v.g. Ubi est terminus motus localis, non verò extrinsecè totum corpus & reliqua attributa ambit seu terminat, ut ita peculiaris ratio, terminans omnia quicquid nomine locati venire potest, necessaria sit, quæ locus nuncupatur. Quantum deniq; attinet illud, quô infertur termini terminum esse, si ratio loci terminet terminos corporis ejusdemq; affectionũ, dicimus, terminos illos interiores ut sunt: forma essentiæ corporis; figura Quantitatis, gradus ultimus Qualitatis &c. considerari bifariam:* ratione illius, quod in corpore terminant; & deinde respectu loci, totum corpus ambientis. *Priori ratione ut*

sunt

ſunt termini, ita eò ſenſu non ſui terminum agnoſcunt: eſſet enim contradictio in adjecto terminum, ut ſic, terminum vendicare. Poſteriori tamen nihil prohibet, locum eorundem terminum extrinſecum eſſe, nempe eos ita continentem, quò minus extra ſe poſiti intelligantur: quia tùm non ſub ratione terminorum; *ſed* ſub ratione terminabilium ſeu terminatorum *perpenduntur. Adde & hoc, quòd aliâ quoq; conſideratione termini illi in ordine ad locum nomen & rationem terminorum retinere poſſint, prout ſcil. locus eorum reſpectu ita attenditur*, ut rationem extimi termini exuat, *dum ſpectatur* ut habitudo inter corporis locantis ſuperficiem & illos terminos, quos ſcil. à parte locati requirit, tanquam eos, quos immediatè attingit. *Diſpar autem ratio circa motum, propter quem nullatenus alius motus eſſe poteſt, obſervanda venit: Unô enim terminabili alter terminus eſſe nequit: quia ad triplicem ſaltem terminum terminari poteſt, è quorum ſerie motus non eſt. Item motus ſub quacunq; ſpectetur ratione fixus non eſt, ut motus alicujus terminus evadere poſſit: eſt enim ens ſucceſſivum, ut ſuprà prolixè ſignificavimus. Innoteſcit ergò quomodo localitas ad locatum ſeſe habeat, quoties ab Ariſtotele & aliis τὸ περιέχον appellatur.*

Dub. 6. Ergóne Locus Affectiones internas, harũq; terminos circũſcribit & ambit, ut non tantùm corpus, ſed etiam iſtæ, & illi locentur, ceu è præcedentib9 quidem percipiendum; quod autem abſurdè ſtatui videtur: quia locus non eſſet propria affectio corporis locati: nam quod attributum non ſoli corpori, ſed etiam rei, re, immò genere ab illo diverſæ cõvenit: id nõ eſt attributũ proprium, ſed cõmune: at ita ſeſe haberet locus, ſi iſtis quoq; & illis (affectionibus ſcil. interioribus atque earundem terminis) aſſignaretur: ergò non eſſet corporis propria affectio, nec tantùm corpus locatum denominaret, ſed etiam verbi gratiâ Quantitas Qualitas &c. locata dicerentur, quod falſum?

Reſp. Affectiones corporis internæ earumq; termini interiores Loco ſeu Localitate clauduntur atq; proinde in Loco eſſe dicuntur, non quidẽ principaliter, *ita enim dicendũ, quòd ſolùm corpus Loci πρῶτον δεκτικὸν ſit, quia adæquatum Phyſicæ objectum eſt, de quo ſolo affectio (qualis inter alias etiam Locus eſt)*

princi-

principaliter & adæquatè prædicatur; attamen per denominationem minus principalem, *quod fieri inconveniens nequaquam est: nam quia corpori locato insunt cōsequenter quoq; loco determinantur: sic Quantitas v.g. tempus denominat determinatione accidentali quando v.g. dico: tantum tempus &c. ita tamen, ut proprium denominationis subjectum sit solum corpus naturale, utpote quod principaliter accidentia sustinet.*

Quod igitur rationem Dubii convenit, obtinuit tantùm Localitatem non principaliter affectiones includere seu circumscribere, positô interim, quòd secundariò & minus principali denominatione ijs assignari non nequeat.

Dubium 7. An sufficiat ad Locum ex parte corporis locabilis Ubi qualecunque, utpote quoad vel nudam saltem rei præsentiam notat; an verò peculiare seu proprium requiratur, ut vel postmodum in loco esse queat, Priori inservit, quia nullum Ubi discrimen dari posse videtur, quum in omni substantia quæ alicubi est, sufficiat si per illud præsens sit, ut loco circumscribi queat: contra posteriorem sententiam tamen est, quòd aliud sit

ubi corporis, aliud ſpirituum finitorum, quorum illud ſcil. ita eſt extenſum in ordine ad locum, ut ſit totum in toto & pars in parte ſpatii, quod occupat: item comparatum eſt ita, ut non admittat ſecum in ſpatio eodem corpus aliud naturaliter præſens; hoc verò non eſt illo modo extenſum, ſed præſentiam indiviſibilem notat, atq; ita quidem, ut totum ſubjectum ejus ſit in toto, & totum in quavis parte: deinde quoque naturâ ſuâ ex eodem ſpatio non excludit quodlibet aliud Ubi, ſive ſit corporeum; ſive ſpirituale: unde diſcrimen manifeſtum datur, illudq; ad localitatem in ſubjecto prærequiritur, nec hoc ſufficit?

Reſp. Meritò poſterius aſſerendum venit propter diſcrimen Ubi corporis ac ſubſtantiæ ſpiritualis modò declaratum: nam quamvis ambo in eo conveniant, quòd utrumque ſubjectum ſuum præſens dicat: dicto tamen modò diverſa *ſunt, quorum id, quod corporis eſt, ad locum intrinſecus & à parte rei locatæ requiritur: quia ſcil. propter nudam præſentiam res non poteſt claudi & circumſcribi,*

ſcribi, ſed neceſſe eſt, ut dentur partes, ſeu ut detur præſentia, vel ubi juxta partes locabilis diviſibile.

Hæc eſt cauſa cur ſpiritus ſinitus non ſit in loco, quia ſcil. caret partibus diviſibilibus locóq; terminabilibus: hinc enim non opus habet extrinſecá habitudine ſeu ratione loci, quâ ita contineatur & ambiatur, ne qua pars extra hanc eſſe permittatur.

Patet ergò quid ad Localitatem, præſertim, quod Ubi ſpectat, ab intrinſeco & ex parte locabilis requiratur. Ratio Dubii tollitur per allatum diſcrimen Ubi:

Dubium 8. An oppoſitum Loci ſit vacuum: pro negativa enim ſunt, quod vel prorſum non detur, aliàs ſocietas corporum omniſque Motus tolleretur, vel ſi in natura exiſtat, nihil ſit aliud, quàm locus, ac proinde loco non poſſit privativè opponi. Et ſi ſtatuatur illud dari non quidem in natura, ſed extra mundum, negativè opponetur, quæq; oppoſitio non erit adæquata, nec Phyſica, quia non habebit extrema utrinq; Phyſica, ſed alterum contradictorium. Adde quod illocalitas,

litas, quâ quid locô debitô destitutum intelligitur, accuratius exprimat, oppositum loci, vacuum autem non tàm Loci, quàm Locati negationem dicat. Pro affirmativa dicendum, vacuum esse spatium vacans corpore, quod potest naturaliter repleri, atque ita duo involvi Loci negationem seu seu carentiam: nam sublatô locatô, tollitur habitudo, quæ est inter locacabile & superficiem locantis: at in vacuo tollitur locatum, seu vacuum negat locatum. Ergò: deinde aptitudinem localitatem recipiendi seu sortiendi, quæ duo oppositum privativum important: Ergò Vacuum Loci privativum oppositum est. Minor est ex communi vacui declaratione desumpta, nec enim commodius explicari potest, quàm inficiatione subjecti, quod per naturam sibi locum vendicat.

Resp. De Vacuo duplici modô differitur, an de facto, seu actu detur in rerum natura, *unde postmodum possit Loco tanquam opposi-*

oppositum assignari: deinde utrum de possibili sit in ordine ad divinam potentiam, idem dari utrumque id sufficiat, ut oppositum loci dici mereatur. *Prius negandum esse vel per rationem dubii constat, quia scil. inferiora cælestibus lationibus; & influxibus subduntur: Utique hæc tollerentur datô vacuô; quia transmittuntur ad inferiora per elementa & non per inane seu Vacuum, & concessô, per illud influxus fieri, nullus motus esset in eo vacuo ideò, quia in ipso tolleretur medii resistentia, quæ successionis causa erat. Sic quo minùs Vacuum statuatur, manifesta colligitur observatio ex solerti naturæ diligentia, quæ prævidet, ut corpus grave suopte ingenio petat acclive & leve declive, quò evitetur Vacuum & corpora sublunaria cælestibus beneficiis frui possint. Dices; distinguendum esse inter vacuum à corpore quolibet* separatum; *&, uti vocant,* imbibitum; *quorum illud scil. spatium ab omni corpore separatum, seu inanis quædam intercapedo; hoc multis particulis per totum corpus diffusum est; licetq; illud negetur, hoc tamen in corporibus dari? Respondemus. Neque separatum (quomodo enim separatum esse potest, dum nihil est) neque imbibitum in natura admittendum est: nam undiquaque subtilia corpora diffusa sunt, quæ omnium corporum poros & inanes*

nes meatus compleant. Relinquitur ergò, quòd vacuum, uti dubium inferebat, actu non detur; ubi tamen sciendum, quòd hoc ipsum non sit causa, cur idem non possit physicè opponi: declaravimus enim in superioribus, quomodo privativa opposita sese habeant, nempe unô existente aliud nondum dari, quod hac vicè quoque dicendum veniet, si vacuum Loco opponatur. Deinde quoque negandum, quod idem si existeret, nihil, quàm locus esset: nam locus non est corporis vacuitas, qualis illud esset, sed essentiam & naturam corporis includit seu præsupponit tanquā affectio propria suum subjectum.

Negativum deniq; oppositum seu cōtradictoria negatio respectu Loci nequaquam esset, propterea, quia consisteret in carentia formæ (loci) adesse debitæ, cum aptitudine eam suscipiendi, quod de simplici negatione dici nequit, ut ita constet, quod vacuum quidem non detur, rationes dubii verò nihil efficiant, quò minus statuatur loci oppositum, etiamsi detur: Quod si porrò de poßibili sermo erit, juxta potentiam ordinatam *id dari posse iterum negamus, licet aliàs* juxta absolutam *affirmativa tenenda sit: prius quidem: quia tolleretur ordinarius naturæ cursus, quem tollere ordinaria potestas Dei non dicitur; hoc: quia non implicat vacuum introduxisse:*

duxisse: Utrâq; autem stante, explicandum est, an sufficiat, illud quali quali ratione esse posse, ut Loco privativè oppositum intelligatur, opponitur scil. Loco non prout corpus negat, *utpote quod dum inesse debebat non insit; hæc enim negatio substantiæ, non accidentis est, è quorum censu locus erat; Verum* prout habitudinem seu rationem circumscribendi negat, *quod consequenter facit, dum negat illud subjectum: quia sublato illo accidentia propria quoque tolluntur. Et tùm intelligitur beneficiò rationis rationantis nihiló ipsius in natura extra hanc repertó, id quod de antecedentibus quoque oppositis dictum fuit.*

Quod attinet spatium seu corporum vacuitatem extra mundum, illud non est vacuum Physicum, *nec, ut dicebatur in dubio, adæquatè & privativè Loco opponi potest, quia ibi negatur vis naturæ activa, per quam repleatur, sed si vacuum dicatur,* hyperphysicum *sit, oportet, quatenus potest divinitùs repleri.*

Illocalitas deniq; idem dicit, quod vacuum suprà explicatum, scil. quatenus illud (*vacuum*) habitudinem circumscribendi corpus inficiatur, *quamvis idem non sit,* quatenus vacuum corpus locale negare intelligatur.

Suô igitur modô nempe quô jam & in dubio rem explicatam dedimus; oppositum Loci privativum, tâm nomine vacui, quàm Illocalitatis innui poterit.

Sed tantùm quoque de naturâ Loci seu localitatis. Restat de tempore agamus.

Dubium

DUBIA
De
TEMPORE.

DUbium 1. Maximum oritur dubium circa Tempus, quando de corpore naturali citra dictamen Sacræ Scripturæ demonstrandum venit, utrum nempe per Philosophiam seu rectam & infallibilem rationem, atque hoc locô Physicam, ita de corpore concludi valeat, ut sciam omne & solum corpus per se in tempore esse; & vice versa, utrum quicquid intempore est, corpus sit, quibus assertis, certum erit, ipsum, præter consideratas corporis, adæquatam affectionem esse; vel res secus sese habebit, si ratio deerit ex Physicis desumenda. Pro negativa adduci potest non-repugnantia æternitatis, non enim impossibile fuit, omnia corpora Physica ab æterno fuisse nec erit, eadem semper fore. Hinc sequitur statui non posse rem naturalem tempore incepisse (quia potuit ab æ-

 terno

terno esse) nisi prægnans ratio suadeat. Quod verò huic ulterius obstat, est, quia Deus mutatus fuisset, si olim; seu abæterno res naturales non produxisset, sed Tempore demum. Omne n. quod modo agit & ante non agebat, dum agit, mutatum dicitur. Item vel invidiæ, ut objicitur, vel impotentiæ accusandus videretur, quod statuere blasphemum. Porrò perfectius est; causam actu secundô talem semper esse, quod de prima negaretur, si res naturales certô tempore produxisset.

Deniq; inconveniens est dicere res naturæ in Tempore productas esse: sic enim Tempus præextitisse intelligitur; item Tempus hoc ipsô non erit affectio corporis: quia affectio propria est essentiale consequens, quod de Tempore ideò non affirmari valet, quia in illo res producta sit; Et si dixeris cum tempore rem esse productam itidem inconveniens erit: nam sic quoque Tempus affectio propria esse deficiet, quia non per emanationem

ex

ex ſubjecto fluere, ſed ſimul cum eodem produci intelligetur, quod falſum. Et poſitô res naturales aliquando incepiſſe nec æternas eſſe; videtur tamen duratio earundem fine deſtitui; quô pactô iterum temporaneæ non erunt, ſed æviternæ, & quidem per rationes pro æternitate allatas, quia nempe nulla datur repugnantia, quò minus finẽ habituræ ſint, nec Deus à mutatione ſui excludi poſſet &c.

In ſumma: ſi rerum Tempus Philoſophó demonſtrabile ſit, quómodò id in Geneſi credendi articulus erit?

Contrariam autem ſententiam ita confirmandam ducimus: Res naturalis eſt producta, ut ſupra de Autore naturæ diximus: Ergò datur inſtans, ſeu momentum, in quo producta ſint, quod nemo negare poteſt: quia tunc poteram dicere: nunc prima cauſa ſeu Deus producit cœlum, & nunc eſt momentum temporis (utut tempus ipſum non ſit) ceu inconfeſſo. Hinc igitur argumentamur: Poſitô & aſſer-

tô primo nunc, seu momentô ponitur initium & pars temporis: nam pars temporis est definitio momenti; & quemadmodum Quantitas ex punctis conflata est: ita Tempus ex momentis seu instantibus, tanquam ex punctis seu partibus quibusdam proportionalibus componitur, ut ita fieri nequeat, quin nunc seu momentum omnium novissimum, seu primum Temporis initium dicatur. Dices: fuit quidem instans seu nunc, sed non tale quale tempus secutum est? Resp. Hoc fieri non potuit: quamprimum enim aliud instans primum secutum est, utrumque (instans) tempus erat: nam tempus est conceptus, qui instantibus componitur. Urges: Instantia duo; vel plura non statim tempus notare quia etiam æternitas talia includit? Resp. divisibilia non includit, quia se non habent ut priora & posteriora, vel quia unum non erat primum, alterô posteriori, sed æquivalent uni, seu per identitatem talia sunt, quemadmodum scilicet,

licet, verbi gratiâ, attributa divina per identitatem sibi divinæq; essentiæ cõveniunt. Ergò relinquitur, primô scil, & posteriori, seu etiam pluribus subsequentibus (utpote divisibilibus, quod ipsis convenit quia cum motu & quãtitate indissolubiliter copulantur) positis, Tempus, seu successivã durationẽ poni, præsertim quoque si demonstrabitur non primum tantùm nunc seu momentum, in quo res naturalis incepit fieri (quippe quod ævum saltem relinquit) sed ultimum quoq; instans seu nunc, ubi eadem desitura sit, quod ita præstamus: quò magis ætatum cursus præterit, eò minora corpora & debiliora brevirisq; vitæ fert Natura, quod experimentô constat, unde legimus antiquos multos centenarios vitam traduxisse: ergò si res naturalis æternùm vel sine fine durabit, ad minimam deveniet atque ita ad terminum à posteriori protrahetur. Item non datur progressus in infinitum: ergò nec tempus in Physicis in infini-

tum extendi poteſt, quod fieret, ſi termino durationis à poſteriori deſtitueretur. Porrò omnes affectiones corporis immò corpus ipſum terminos eſſentiæ ſuæ habeat: Ergò & Tempus, ſeu duratio quantiſper illa exiſtunt, tantiſper prolongatur. Quid igitur hac in parte ſentiendum veniat Philoſopho, quatenus aliô cognoſcendi adminiculô deſtituitur?

Reſp. Duplex Temporis ſcientia ſeu notitia datur: generalis, & ſpecialis ſeu etiam individualis. *Hæc poſterior ejuſmodi eſt*, quà certè cognoſcimus non tantùm Temporis naturam in genere; ſed etiã omnes ipſius circumſtantias, qualis, verbi g. eſt quando ſcio, Petrum eſſe 50. annorum, quia hæc eſt ſcientia Temporis individualis. *Prior autem conſiſtit in eo*, quò generaliter cognoſco, quando corpus naturale inceperit ſucceſſivè durare & quantiſper duret, licet ignorem quotò momentò, à poſtremo numerans, inceperit, quotòq; , à primo inchoans numerare, deſiturum ſit; Vel quando ſcio, an ſit, quid ſit & num adæquata corporis affectio in genere ſit. *De ſpecifica hoc loco non ſumus ſolliciti: quia extra*

tra controversiam est, quod plurimarum rerum peculiare tempus juxta circumstantias quaslibet, determinare nequeamus. Dubium ergò est de generali, modò declarata, pro qua dicimus sententiam dubij affirmandam cum omnibus rationibus hisq; similibus firmiter tenendam esse, quemadmodum insubsequentibus quoque naturam Temporis ulterius declaraturi sumus.

Quod interim negativa argumenta concernit, falsum est non repugnantiam æternitatis in rerum naturalium censu obverti posse, quò minus illas in Tempore productas statuamus; positis enim priori & posteriori, seu pluribus instantibus iisdemq; divisibilibus & successivis, nihil magis in natura repugnat, quam statuere rem Physicam posse ab æterno esse, quia æternitas instantia illa tollit, & contra. Immò æternitas Deo neganda veniret, quia unum est æternum, atque sic iste finitius diceretur, corpus verò infinitum, quod falsissimum, imò impoßibile est. Sic refutatur poßibilitas durationis rerum in infinitum à posteriori, per argumenta pro affirmativa sententia finus rerum adducta.

Nec deinde sequitur DEum mutatum fuisse corpus Tempore producendo: etsi enim ab æterno id nondum condidit, tamen semper fuit in actu, ita tamen ut distinguatur inter a-

ctum primum; *&* secundum; *vel inter* productionem activè & objectivê *consideratam. Ratione actus primi Deus ab æterno fuit rerum architectus; secundus verò seu productio objectivè sumpta seu prout denominat creaturam, temporanea quidem est, sed tamen in Deo nihil mutat, quia extra essentiam divinam aliquid creaturæ ponit ex nihilo evocatum. Probatio autem non* de omni agente; *sed* de tali *duntaxat valet*, qui se mutat de potentia ad actum sive de primo, sivè de secundo loquaris: *DEus enim movet, sed non movetur, seu mutat res, sed non mutatur: quia actus ex omni parte purissimus & perfectissimus est. Neq; porrò vel invidiæ; vel impotentiæ accusandus videtur: nam distinguendum inter eum* qui quid potest & debet, nec tamen vult bonum proprium communicare, cum oportet, *& illum* qui rem à se producibilem distulit, quia nec tenebatur, nec expediebat, hanc effecisse. *Prius negatur de Deo, quippe quod signum invidiæ esset: est enim creator omnium non necessitate, sed liberâ voluntate operans. Posterius autem nihil contra tempus infert, sed potius idipsum confirmat: quia enim non expediebat, creaturam esse duratione eâdem, quâ est creator, præditam; item quoniam æterna productio necessitatem producendi inferebat:*

in Tem-

in Tempore potius productum fuit, quicquid à Deo creatum est. Ulterius: perfectius est causam actu secundò talem esse, distinguendo inter causam, quæ actu secundò perficitur *& inter eam* in qua actus secundus nihil novæ perfectionis importat. *Deus non illius, sed hujus generis causa erat, uti supra significatum fuit: nam ex rerum creatione nullam majorem perfectionem acquisivit. Quare, ad perfectionem ipsius nequaquam pertinebat Res corporeas actu secundo ab æterno produxisse.*

Locutiones: in Tempore seu cum Tempore Res naturales productæ sunt, ita explicari debent: Res Physicæ, ita creatæ sunt ut Tempori tanquam propriæ affectioni subessent: *Nolint igitur ita accipi*, quasi Tempus præextiterit, rebus temporaneis posterioribus. *Cum rebus verò Tempus & vicissim res cum Tempore productæ sunt, ita, ut res* simul momentô, prius tamen ordine naturæ *productæ intelligantur: quia nimirum Tempus consequens naturale est.*

Quod rationem spectat contra finem rerum allatam, eæ prævalent, quæ rerum ultimum terminum supra probarunt ex decrementis earum, ut & à repugnantia progressus in infinitum desumptæ.

Quod summatim in Theologicis & quidem

libro Geneseos docetur de Tempore, seu temporanea rerum creatione, id, tanquam pars orthodoxæ fidei longè aliud est, quàm quod hac vice Philosophicis rationibus concluditur: nam illis Tempus multis circumstantiis delineatur *resq; eò modò, verbi gr. sex dierum intervallo &c. producta recenseatur, quam Philosophus prorsum ignorat, Spiritus autem sanctus Christianorum mentibus inspiravit, ceu pluribus Theologi monere solent. In Physicis autem, ut supra significatum fuit*, de τὸ an sit & quid sit generatim disseritur. *Relinquitur ergò illa Temporis consideratio doctrinæ fidei, ita tamen, ut hæc posterior ex naturali scientia non prorsum relegari queat.*

Restat igitur affirmandum, quòd Tempus omni & soli corpori naturali conveniat, adeoq; propria ejusdem affectio sit.

Dubium 2. An Tempus sit numerus Motus; an v. duratio, vel utrum mensura. Contra numerũ est, quòd hic sit Quantitas discreta quæ non pertinet ad Physicam, ceu in doctrina de Quantitate monuimus, quodque rei per se non conveniat, sed ab intellectu nostro eidem imponatur. Contra durationem pugnat hęc ratio: Quicquid

est

est modus internus: deinde convenit etiam substantiæ spirituali illud nō est recensendum inter affectiones corporis & quidem externas: at ita durationem sese habere manifestum est. Ergò. Contra mensuram denique pugnant: Mensura debet esse manifesta: Tempus non est manifestum: Ergò Mensura est indivisibilis: Tempus verò in momenta dividi natum est inq; prius & posterius distinguitur. Ergò. Affirmativa Numeri ita ostendi posse videtur; indivisibilium unitatum collectio est numerus: sed Tempus est, talis: ergò: Major Numeri definitio est: Minor probatur: quia Tempus si materialiter seu fundamētaliter sumitur partium Motus; sin formaliter prioris & posterioris nunc seu momēti congregatio est. Ergò. Pro duratione est, quòd Quando sit habitudo inter rem durantem & durationem, tanquam terminum sui extrinsecum, non secus, atque Ubi ad localitatem pertinebat: ergô duratio id est quod Tem-

Tempus dicitur; vel Tempus est duratio. Mensuram denique Tempori tribuit talis causa: quia ad Tempus omnis rei præsertim motus conditio & habitudo exigitur, quod de ratione mensuræ est?

Resp. Pro diversa consideratione, atq; respectu Tempus per numerum, durationem, atq; mensuram definiri seu declarari non nequit: Per numerum: distinguendum enim est inter numerum, ut vocant, numerantem, *&* potentiam, seu habitudinem juxta quam aliquid quoad partes numerari potest. *Prior est opus animi nec affectionis definitionem hac vice ingreditur. Posterior v. Tempus sub se complectitur, ita tamen, ut illud consideretur non* formaliter & abstractè, *sed* subjectivè, seu etiam accidentaliter: *subjectivè, quatenus inest ejusmodi rei, quæ in partes divisibilis est. Accidentaliter quatenus partes vel Quantitatis; vel motus respicit. Item prout consideratur,* partialiter ratione scilicet momentorum, è quibus componitur.

Per mensuram: consideratur enim vel absolutè; *vel* respectivè.

Priori modò à modo mensurandi præscindit; Posteriori verò ad corpus naturale, præsertimq;

fertimq́; quod varias motus vicißitudines ſpectat, tanquam regula ſeu menſura quædam, ad quam hæ exiguntur & diriguntur concurrit, ſic poßumus velocitatem motus ex Tempore judicare: item internam rei durationem in actuali exercitio exiſtendi. Hoc verò non *ita eſt accipiendum quaſi Tempus* omnimoda corporis menſura ſit: *non enim eſſentiam ſeu internam eſſentiæ ipſius perfectionem menſurat: quia ex eo non poſſum cognoſcere, an eſſe unius rei perfectius ſit, quàm eſſe alterius, nec major duratio rei in Tempore addit rei permanenti majorem perfectionem per ſe loquendo: verumtamen, ut dixi,* eſſe rei menſurat quantum ad durationem in actuali exercitio exiſtendi, *utq́; ſit menſura* accidentalis, *non verò* eſſentiæ corporis.

Per durationem deniq́;: diſtinguendum ſiquidem venit inter durationem rei internam & externam, *quarum illa eſt, per quam res quoad internam eſſentiam durare dicitur; hæc rei ad aliam rem extrinſecus comparatæ inſtar menſuræ ejus. Prior non eſt hujus loci, ſed poſterior, quæ Tempus notat.*

Ut igitur argumentis, ſi negativam ſimpliciter velint, ſatisfaciamus, ad primum dicimus

mus numerum numerantem *ad prædicamentum Quantitatis spectare; non verò* numerum qui consistit in habitudine superioris declarata: *neque verum est, quòd hic, qui Tempus notat, opus intellectus sit: proficitur enim à Natura corporis: quia hoc quoad partes aptum est numerari & ad aliam rem tanquam ad mensuram exigi. Contra rationem, durationem Tempori detrahere conantem, distinguimus primò inter durationem* internam & externam *ut supra factum: illa enim internus saltem modus est: non hæc. Deinde inter durationem* generaliter *acceptam; &* specialiter *de rebus naturalibus eô intellectam modô, quô successionem partium portat, licet scilicet non* per se & formaliter, *ceu motus, in successione consistebat, tamen* denominativè & materialiter; prout scilicet cum motu coexistit. *Illam de substantiis spiritualibus quoque intelligendam esse concedimus; hæc tamen strictior est, quàm ut extra Physicam sese extendat ad plura præter corpus naturale. Ad rationem mensuræ negantem respondemus distinguendo* inter notius seu manifestius per se & ratione nostri. *Contingit Tempus latere, sed hoc est* per accidens ratione nostri, *qui ipsum difficulter apprehendimus. Deinde Tempus consideratur dupliciter*: ut est mensura respectu corporis

poris

poris & durationis internæ; *& ita notius est duratione seu rei existentiâ: deinde* quoad alia difficilia, quæ non sortitur quatenus mensura est, *sed* quà talis, vel talis res dicitur sensibus nostris non tàm nota; quàm manifesta alia sunt: *atque hoc pactô negari potest ipsum notum, seu manifestum esse.*

Denique quod indivisibile esset, si mensura definiri deberet, respondemus ad minorem negando eam: nam sanè indivisibile est quatenus mensuræ nomen & officium exercet, *licet* aliô respectu *dividi natum sit, nempe* materialiter *si datum: item* ratione partium, *quô sc. licet sensu non est mensura, sed totum quoddam.*

Videre igitur licet, quod neque numerus, neque duratio neque mensura de Tempore negari debeant. Quando verò quæritur per quem conceptum accuratius *exprimatur, & quoad naturam suam genericam declaretur, statuendum putamus* durationem convenientius & clarius locô generis collocari, *quàm mensuram, vel numerum: quia illa modum Metaphysicum innuit respectivum, cùm tamen Tempus prius absolutè & quoad essentiam suam spectari deberet: hic verò (numerus) ratione partium, ut supra dictum est ei tribuitur. Item non tàm numerus, quàm habi-*

habitudo prioris & posterioris seu ratio partium, quâ Tempus totum est, dici meretur.

Dubium 3. Cur Tempus Motum denominet, & non potius corpus naturale, quãdo videlicet definitur quod sit numerus Motus &c. cùm tamen non motus; sed corporis propria affectio sit, quia affectionis non est affectio, & quemadmodũ deMotu potius, quòd mobilis, quàm quòd v. g. Quantitatis tendentia sit, dicendum fuit: ita quoque Tempus æquius corpori ascribatur. Num forsan ideò Motui peculiariter attribuatur, quia ab illo non multùm differt, vel quia prius & posterius in motu maximè deprehenduntur, Tempore commensuranda, quorum tamen neutrum tutò affirmandum videtur. Non illud; aliàs non esset diversa affectio à motu, nec consisteret in habitudine, superius declarata, Motus enim in tendentia seu acquisitione termini collocatur, sed vel Motus ipse, vel saltem hujus modus. Non hoc: Quia prius & posterius

rius non essent ratio temporis, utpote Motui ascribenda?

Resp. Quamvis suprà concessum Tempus quodammodo *per numerum motus declarari posse, dictum tamen fuit quod* accuratius *definiatur per durationem : Quia numerus* observationem *potius quàm* absolutam *Temporis* essentiam *subinfert. Nuncq; asserendum venit Tempus Motui assignari non* tanquam subjecto primario, *sed* tanquam secundario seu ejusmodi accidenti, sine quo nequit observari & deprehendi; *quod v.gr. in dormientibus apparet: illi namq; expergefacti momentum, quo surgunt, cum eo quo cubitum iverunt conjungunt, & nullum vel parùm temporis intercessisse arbitrantur, quod fieri contigit, quia dormiendo seu quiescendo nullum perceperunt motum. Interim primariâ denominatione corpus respicit, sicut dictum fuit de reliquis hujus attributis.*

Observa quoque, quòd Tempus Motui modò indigitatò; *itemq;* tanquam proximo mensurabili *conveniat*; per quandam *verò* concomitantiam *alias quoque corporis affectiones, prout de ratione divisibilitatis participant, imò etiam ipsam Quietem mensuret quia in hac quoque prius & posterius reperiuntur, prout nimirum in relatione & com-*

paratione cum motu est. Differt autem Tempus à motu si non realiter; *tamen* formaliter, *ceu ex diversis eorundem definitionibus conspicuum evadit, quod quidem caussa est* cur motum denominet idq; à motu denominetur, *non verò* cur unicè Motui assignandum veniat. *Ratio quoque non nihil obtinet, quæ ideò Tempus motui peculiariter tribuit, quia in hoc prius & posterius maximè deprehenditur ita tamen, ut distinguendum sit inter prius & posterius* formaliter & materialiter *consideratum. Illud in Motu est; cui per Tempus ratio prioris & posterioris imbuitur: hoc verò rationem Temporis importat. Ut infra patebit.*

Quod autem ad argumenta spectat, primum valet, si Motus & Tempus prorsum non distinguantur, *interim sufficit si ad minimum* formale discrimen *admittunt. Ad alterum dicitur ex distinctione modò allata; quod nempe in Motu prius & posterius* materialiter, seu quoad partes, motui conveniant, quæ in Tempore rationem prioris sortiuntur, *ut ita prius & posterius* propriè & formaliter, *soli Tempori conveniat. Vel distingui etiam potest inter prius* naturâ & tempore prius ac posterius : *hoc tantum, Tempori inest & aliis propter Tempus, illud*

verò

verò cum aliis prioritatis modis pluribus quàm Tempori convenit: sic causa causatô naturâ prior est, sicq; motus partes praecedentes priores naturâ sunt quàm subsequentes.

Dubium 4. An ratio formalis Temporis sit τὸ prius & posterius; an verò habere initium & finem; an verò ratio numerabilis, id est, quâ partes rei temporaneæ succesivæ numerari natæ sunt: istud enim communius est, quàm ut genericū Temporis conceptum, qui erat duratio, specificet ac determinet; quia nimirùm aliis etiam notionibus, quæ tamen Tempus nequaquam sunt, convenit v. gr. causæ & causato &c. illud autem (habere initium & finem) est respectu ævi differentia duntaxat ex parte seu secundùm quid, quod differentiæ seu rationi formali non competit: probatur minor quia ævum initium habet & fine tantùm destituitur. Ergò si initiū & finis Temporis ratio sint, Tempus non probè ab ævo distinguetur. Deinde termini motus non erant ratio

tio illius : ergò nec initium ac finis Temporis. Adde quòd pluribus quoque initium & finis tribui queat; quã ut rationem Temporis dicat. Sic substantia corporea initium seu principium essentiale sibi vendicat, quæ tamen essentialiter Tempus nequaquã est. Hæc tandem (ratio numerabilis) est actus primus numeri in subjecto; estq; species Quantitatis, quæ superius Tempori non conveniebat accuratè loquendo, & positô Tempori hanc competere, genericum ipsius nöema erit; ut supra vidimus, non verò differentia seu ratio esse poterit. Quòd è contra prius & posterius ratio Temporis sit, constat: quia genericãm durationis, quæ de duratione spirituum & corporum prædicatur, essentiam ad certam speciem restringit & ab aliis durationibus diversam facit: Prius n. & posterius in duratione divinæ essentiæ, sic & intelligentiarum naturis propriè non dantur. Pro initio autem & fine est, quia hæc ipsa sunt duo momẽta ex-

ta extremæ: ergò limitant & distinguunt Tempus, quemadmodum termini Motus essentiam hujus genericam ad certam entis speciem determinarunt. Adde quod initium & finis à priori & posteriori nihil differant: prius enim respectu illius, quô prius est, initium dici convenienter potest, & posterius prioris finis (vel intermedius; vel ultimus) erit: si ergò supra valeat prius & posterius esse rationem Temporis: utiq; certum quoque erit, quod initium & finis ipsius differentiam innuant. Rationem numerabilē statuit hæc ratio: Quia Tempus est numerus, numerꝰ v. est, quô res numerari nata est, ut ita aptitudo seu actus primus, qualis rem numerabilem denominat; in re illa existat tanquam quædam affectio. Ergò ratio illa est forma seu modus Temporis formalis?

Resp. De generico Temporis conceptu dictum fuit, quòd Numeri Durationis & Mensuræ notiones Tempori conveniant: Quia igitur prius & posterius sic quoque ratio numerabilis ad numerum pertinent, initium & finis

porrò ita ad Tempus sese habent, quemadmodum in dubio pro affirmativa sententia disseruimus: utiq; neque istud (prius & posterius) neque ratio, quà res numerari valet juxta partes, neque initium cum fine de Tempore simpliciter neganda, *sed* suò sensu eidem assignanda *veniunt.*

Prius & posterius genericam Temporis naturam determinant, ut à durationibus spirituum diversum sit, sicut in dubio argumentati sumus.

Initium porrò Tempori tanquam differentia convenit, quod si idipsum cum infinita duratione ita confertur, ut hæc talibus terminis carere, illud verò peculiariter iisdem claudi intelligatur. *Ratio numerabilis deniq; propriè dicit, in quo duratio formaliter & specificè consistat: quia per eam subjectum, quod in Tempore esse existimatur, respicit & afficit, utpote juxta quam considerationem assertiones hujus loci præcipuè ponderamus.*

Restat igitur, ut oppositis dubitandi rationibus satisfaciendo, Temporis naturam ita pergamus declarare:

Prius & posterius sumitur bifariam: generaliter; *&* specialiter: *illô modô* disjunctivam Entis affectionem arguit, quam Principium & principiatum vocant, *estq; Metaphysicæ considerationis, neque Tempori ada-*

adæquatè convenire potest, ceu ratio dubitandi inferebat. Specialiter autem accipitur & quidem hoc loco, prout partium successivarum in motu, & duratione rerum Physicarum prius & posterius est: *atque hoc sensu impræsentiarum statuimus, quòd soli Tempori conveniat, ipsumq́ ab aliis, quæ Tempus non sunt, diversum faciat.*

Initium porrò & finis Tempus ab externo respiciunt, sicut Termini Motus sese utrinq́ habebant, Tempusq́ etiam cum ab æternitate tùm ab aliis, quæ Temporis rationem nondum sortiuntur diversum notant. Et quamvis ævum hoc pactò non videatur in totum ab illo distingui, conveniendo scil. cum ipso ratione initij & saltem distingui ex parte finis; distinguendum tamen putamus inter initium (ac finem) in genere, & in specie, *considerata. Initium in genere acceptum commune est ævo spirituum finitorum & Tempori Physico: Utriusq́ enim rem seu substantiam incepisse, ex Pneumaticis partim; partim ex Physicis satis constat, quod scil. signum est, utriusq́ attributis quoque atq́ hac vice ævo & Tempori initium convenire. Initium verò in specie sumptum, pro* primo nunc, seu momento, à posteriori quantitativâ divisione divisibile *soli Tempori convenit: quia spiritus instantia non sunt ita divisibilia: carent enim materiâ, carentq́ quan-*

titate. Quando igitur Tempus per initium & finem tanquam per rationem propriam determinari intelligitur, initium & finis specificè seu Physicè sumuntur, ut modò dictum est; nec contra hanc explicationem opposita argumentandi ratio quid obtinere potest, valeret enim, si initium omnimodum ævo & Tempori commune esset, quod negatum est. Et quod concernit argumentum à similitudine terminorum Motus deductum, concedimus eos rationem Motus nondum fuisse internam; attamen externam in iisdem collocari certum evasit ex præcedentibus: sic etiam hac vice de terminis Temporis philosophandum est, si scil. accipiuntur pro ultimis illis momentis, id est, pro omnium primô & omnium novissimo, priore & posteriore interjectis, *exteriorem Temporis rationem important, licet non internam, idq; ideò, quia abesse possunt, remanentibus duobus saltem momentis sub ratione prioris & posterioris præcisum Temporis conceptum ingredientibus.* Sin autem duo tantùm momenta, rationem prioris & posterioris habendo rationem quasi primi & novissimi seu ultimi simul sortiantur in Tempore, *interni Temporis termini erunt: quia sine illis Tempus formaliter concipi nequit, atque tantò veriùs rationem Temporis importabunt.*

Reli-

Reliqua, quæ initium & finem sibi vendicant, uti dubitatum fuit, nec tamen Temporis participia sunt, itidem ad spirituales substantias pertinent; vel nihil sunt, vel cum in Tempore non sunt Tempus ipsum sunt, quemadmodum scil. dicimus formam, non habendo formam formã ipsam, materiam carendo materiâ, materiam ipsam esse.

Ratio deniq; illa, quâ res Temporanea numerari seu mensurari nata est, concedo, actus primus in subjecto est; sed hoc nõ impedit, quò minus hic, quid formaliter Tempus sit, involvat, verùm quia potius propria de potentia intelliguntur; utiq; non tàm numerus, actu secundò spectatus, quiq; in animo nostro perficitur, rebusq; physicis, in duratione sua cognoscendis, tanquam mensura accommodatur, quàm actus primus qui in corpore aptitudinem sui habitudinem, quâ id numerari & mensurari juxta partes durationis natum est, formaliter Tempus erit.

Distinguendum deinde est inter Numerum *& inter* rationem numeri formalem: *numerus est, quô quid numerari posse intelligitur, seu quô numeramus rem numerabilem quorum illa* passiva; *hæc* activa *numeri declaratio est. Ratio verò numeri & quidem illó modò intellecti, est aptitudo numerandi, seu numeratio, seu munus rem numerabilem*

denominandi prout ille subjectivè corpori inhæret; hoc: actus numerandi prout à numerante proficiscitur. Vides ex hisce, quòd ratio, quam passivè intellectam hoc loco Tempori assignamus, non genericum norma sit, sed peculiarem Temporis Modum notet, prout id generi partim durationis; partim numeri substernitur, corpusq; naturale tanquam peculiaris affectio denominare putatur.

Dubium 5. An instantia extrema Temporis termini sint; an verò alter Duratio rei interna; alterq; numerus numerans seu numerus, in animo numerantis existens tanquam terminus externus. Prius negandum videtur: quia instantia seu momenta illa sunt de Temporis essentia, quia nempe sunt partes ipsius, quod de terminis extrinsecis dici nequit.

Duratio autem interna nihil præter Tempus ipsum est, ergò hujus terminus esse nequit. Numerus quoque animo inhærens, est ens rationis estq; arbitrarius seu ab humano arbitrio de pendens atque proinde non naturalis, quales tamen termini h.l. esse debebant.

bant. Pro affirmativa autem utriusq; est, quòd hi termini sese non tollant, sed diversâ cōsideratione æquè Tempori tribuendi veniant: Tempus enim consideratur ratione partium, atque sic extrema instantia omnium termini erunt: deinde ratione durationis internæ, ad quam refertur tanquam habitudo superius declarata: atque sic sortitur alium terminum in re temporanea, quemadmodum ubi Loci internus terminus erat: ac deniq; ratione animi numerantis, in quo terminus ipsius est numerus ille, quem vocant numerantem, habetq; rationem extrinseci termini: quia habitudinem Temporis complet, utpote per quam tanquam per divisionem mentis ad definitam quantitatem redigitur, per quam deinde mensuræ rationem possit exercere, vel per applicationem; vel per repetitionem, quô sensu scil. Philosophus dixit 4. phys. c. 14. t. 131. Tempus ab anima dependere. Præterea videtur Motus seu duratio

tio quædã regulariſſima & notiſſima, uti eſt aſtrorum, extrinſecus reliquarum durationum ſeu Temporum terminus vel menſura eſſe, niſi obfuerit, ejusmodi terminum accidentalem & minus adæquatum dici: quid ergò tandem concludendum ſit controvertitur?

Reſp. Explicatio affirmativa ſententiæ retinenda eſt, quando ſcil. Tempus in ſe & ratione ſuarum partium perpenditur, hæc ita comparata ſunt, ut duæ omnium extremæ ſint, quæ proinde totius termini dici merentur, ſicut v. g. duo puncta extrema lineæ cujusdam, hujus termini vocantur: ſicut porrò Ubi ſeſe ad Locum habebat, ita internus durationis modus ad Tempus pertinet; numerus verò animi numerans reſpectu Temporis id eſt, quod ſuperficies corporis ambientis reſpectu Localitatis in corpore locabili erat, terminus ſcil. exterior meritò ſalutatur, propter complementum, quod ab eò Tempus, ut dictum eſt, ſortitur. De motu verò ſeu temporanea duratione ſiderum omnium regulariſſima & notiſſima ita ſentimus: conſideratur illa, ut & Tempus reliquarum rerum bifariam: in ſe & abſolutè: *ac* comparatè & accidentaliter. *Non eſt terminus ſeu menſura reliquorum priori modo ſpecta-*

spectata, nec Tempus aliarum rerum (præter cœlestia corpora) eadem per se mensurari dicitur: nullus enim motus est ex natura sua ita partitus & designatus, ut ad alia mensuranda necessariò destinatus putetur, sed hoc semper ex arbitrio humano dependet. Peraccidens tamen, uti dubium inferebat, stellarum motus & duratio utpote certissima & regularissima aliorum, externa mensura activa sunt, horumq; duratio motusq; mensura passiva per accidens erit. Quod verò hujus loci non est, quin ad partem specialem potius, ubi corpora invicem comparantur specificè, pertinere existimandum sit.

Quod attinet negativam, contra extrema instantia seu momenta objectam, respondemus, nihil impedire terminum de essentia rei cujus est terminus, esse, ut enim constituit eam pars seu causa interna, constituens est, prout verò ad illum res ultimò terminatur, extremum seu terminus est, licet interim non tàm externus sit *quàm ij sunt, qui partium officium in re terminabili non simul exercent.*

Duratio porrò interna non est ipsum Tempus, de qua suprà locuti sumus, quia à priori & posteriori præscindit quæ, quà numerabilia sunt, Tempus dicuntur.

Numerum deniq; numerantem terminum arbitrij humani esse non negamus, sufficit interim

terim quod is Tempus quodammodo, sci'. contingenter, terminet & accidentaliter compleat.

Dubium 6. An Temporis quædam efficacia sit: obstat enim quod accidentis, ad Quantitatem pertinentis, naturam sibi vendicet ac proinde instar Quantitatis cujusdam, passivè se habeat. Affirmativæ verò favet experientia, quâ observare licet Tempus fruges producere, res consumere &c. Item communis cùm vulgi tùm eruditorum consuetudo loquendi, quâ multa Tempori ascribunt?

Resp. Breviter. Concurrit aliquid ad effectum dupliciter: Causaliter & tanquam necessaria quædam conditio seu requisitum. *Prius negatur de Tempore: est enim accidens passivum, ideoq; ad Quantitatem reducitur, uti in dubio significabatur: Posterius autem affirmatur de ipso: Uti enim omnia naturalia Tempore creata seu producta sunt; ita non nisi Tempore conservantur, quia conservatio productionis continuatio est; inde quicquid fit illud Tempori imputatur, tanquam conditioni essentiali & necessaria, non secus atq; de Loco locuti sumus. Loquuntur autem homines de Tempore* per metonymiam, *non verò*

pro-

propriè *quoties Tempori omnia attribuunt. Nec refragatur experientia : quia hæc Tempus rerum necessariam saltem conditionem non verò causam influentem esse dicitur,*

Dubium 7. An Tempus triplex sit: præteritum, præsens & futurum. Affirmativam communis loquendi consuetudo tenet. Negativam verò obtinere videtur talis ratio: præteritum & futurum sunt partes Temporis, præsens verò est terminus, partes illas conjungens. Ergò non sunt Tempus, nisi aggregatè sumantur. Item Tempus est numerus motus secundum prius & posterius: qualis non est præteritum: est enim tantùm prius numeri : nec futurum : est n. numeri posterius: nec præsens: quia inter prius & posterius tertium quoddam, nempe terminus seu vinculum utrumq; conjungens, evadit?

Resp. Quod neq; præsens neq; præteritum neq; futurum seorsim Temporis speciem notent *ex Temporis definitione, in dubio allata, probatum est.* Partes *autem vel* termini Temporis *dici possunt, seu* potius conditiones, *ut scil. præteritum sit conditio antecedens,*

qua

quæ memoriâ & imaginatione concipitur, futurum consequens, quæ in animo expectatur. Præsens utriusq; vinculum. Communem ergò consuetudinem quod attinet, loquimur iterùm Rhetoricè *quando vel præteritum; vel futurum; vel præsens Tempus dicimus, sumendo conditiones pro Tempore ipso.*

Dubium 8. An Tempus habeat oppositum: nullum m nominari posse videtur, quàm Angustia Temporis, quæ tamen non omnimoda privatio hujus est; sed saltem longioris seu commodioris defectus. Affirmativam nihilominus tenendam ideò existimemus: quia omnibus conceptib9 Physicis positivis respondere debet privativus oppositus, quia toti objecto (corpori) Nihil privativum opponebatur?

Resp. Privatio Temporis seu durationis oppositum est, & si per angustiam totalem Temporis carentiam intelligere velis, eandem terminus ille (Angustia) importabit; ut sufficiat qualiquali appellatione ipsâ determinasse.

Ratio a. hanc privationem concludens, satis ponderosa est: quia oppositum adæquatum corporis opposita quoque attributa habet: ac nihil privativum corpori adæquatè opponebatur, ergò privativè quoque ejusdem attributis opponitur, ita nempe ut in eodem quoq; carentia Temporis positivæ Temporis essentiæ privatio dicatur. Tantùm de Tempore.

τῷ Θεῷ δόξα.

INDEX,

Exhibens Dubia, quæ methodicâ serie discussa atque declaratione verarum sententiarum pertractata sunt.

I. DE PHYSICA.

II. DE CORPORE.

III. DE MATERIA.

An

IV. DE FORMA.

V. DE NATURA.

An

VI. DE AUTORE NATURÆ.

VII. DE QUANTITATE.

VIII. DE QUALITATE.

IX. DE MOTU.

An

X. DE QUIETE.

An

XI. DE LOCO.

ben-

XII. DE TEMPORE.

FINIS.

INDEX
Rerum, in diſcuſsionibus dubiorum occurrentium.

A

Ab

datur

est

Deo

non

Exten-

For-

sustinet

in par-

latè

Impe-

esse

forti-

est a.

quæ-

dicit

Oppo-

P

natu-

qua-

consi-

R

Scien-

S

scor-

speci-

Tem-

sunt

FINIS.

Dubia, modo pertractata, publicè defendenda ſuſcepe-runt.

Michael Hahn Chemnitio Miſnicus.
Auguſtinus Mauritii Neo-Trep. Pom.
Georgius Haſauerus Wonſidelió Fra.
Wolfgangus Groppius Wonſid. Fran.
Conradus Victor Schneider Better-feldâ Saxo.
Chriſtophorus Böhm Regiomonta-nus Boruſſus.
Jonas Linckius Jutrobocenſis Saxo.
Bartholomæus Zeidler Budiſſinâ Luſ.
Vitus Beſoldus Kindelbruccenſis Thu.
Michael Gſellius Artzbergâ Variſcus.

Mendæ.

Pag.3. lin.ult. poßit. 4. l.1.fit pro ſit l.2. habitus 7.6. apodicticam.l.11.pro ? : . 11.2. pro maximè minimè. 19.15.innuit.20.4. eſt.24.24. diſciplinis.l.28.conſiderandus.25.10 in.l.15.corpus. 34.1.del.ac.38.ult.allatam.39.ult.æqu . 43.14. ſecundam.45.6: eodem. 47.15.ſynonymicã. 48. 18.quâ.54.penult.innoteſcere.55.2.del.quæ.59. 21.exercendæ, 6.21.ſubire. 78.3.poſt conſtat Lege: Non in nihil: 84.24.obeſſe.107.25.extenſibilitate.130.10.neutrius,nihil &c. 136.1.Qualitatis.137.16.corporis,& del.150.5.poſſet.152.24. id quod eſt in ſtatu &c. 164, 16. del.per. 168.7. l.extrinſecè unus,ſcil.&c.169.19.ſpecificã.178.23 durationẽ.179.14.obtinendũ.181.22. Qualitatẽ. 189.penult.quid.197.pen.corporis. 204.7.quâ. 217.16.ad.218.2.conveniens.235.17.notus.236.6. valemus. 236.17. quieſcunt. 238. 2. mutationi. 239.22.mutationi.244.2.tamen.247.ult.del.ut 250.1.aſſignemus.254.22.locum.266.14.partim. 268.1.interior.l.5. interioris. 273.11.concernit. 283.19.ſit.305.19.ſeu.306.5.noema.308.11.hæ.